ipſe illam debeat ſuæ promiſſioni, cum illius ſit fidem præſtare ſuis pollicitationibus. Juſta igitur merces eſt vita æterna; attamen Sanctus Paulus eam vocat gratiam, iiſque comparat donis, quæ olim ab Imperatoribus tribuebantur militibus; qui bene pugnaverant, & quæ præter ſtipendia illis erogabantur. Profecto gratia eſt, quia opera bona, quæ illam merentur, ſunt effectus gratiæ, & meræ Dei miſericordiæ coronantis dona ſua, D. Auguſtinus ait, dum noſtra merita coronat. Debet ille procul dubio bonis operibus noſtris vitam æternam, & hoc in ſenſu merces eſt, vel, uti a Sancto Paulo vocatur, corona juſtitiæ. Non debet vero gratiam, quæ cum nos ex peccatoribus juſtos fecerit, eſt principium, & fons omnium operum bonorum. Omnes viæ illius, inquit Scriptura, ſunt miſericordia, & juſtitia. Miſeretur, Sanctus Auguſtinus ait, cum peccatorem convertit, juſtitiam exercet, cum punit; exercet vero ſimul juſtitiam, & miſericordiam, cum vitam æternam largitur; juſtitiam quidem, quia remuneratur opera, quæ illam merita ſunt; miſericordiam vero, quia hæc opera per gratiam ſuam facta ſunt. *Tourneux in Anno Chriſtiano. Tomo* 8.

Mentis elevatio in Deum ad petendum donum miſericordiæ.

Non ita, Domine, licet omni ſenſu carerem, videns tot miſerorum ærumnas, & neceſſitates, non tamen carerem videns præmium, quod illis ferens opem mereri poſſem. Juſtitia mea non habet in me adeo legitima jura, ut libenter de illis decedere minime veſis in gratiam ſubſidii illius, quod fratribus meis ipſe contulero. De qua enim re mundum judicaturus es, Domine, terribili ultionum tuarum die? Nonne videntur elogia, ac præmia tua pro illis tantum, qui fuerint miſericordes, futura; probra vero, & pœnæ iis, qui miſericordiam non exercuerint? Poſſum igitur, Domine, exarmare juſtitiam tuam pauperibus opem ferendo. Abjecta, ac fragilia bona, quæ hunc in uſum conſecro, certum me faciunt bonorum præſtantiſſimorum atque æternorum. Sancte Spiritus, mihi conſilii donum communica, ut in felici hac permutatione facienda non dubitem. *Pater Segneri in Meditationibus.*

Puritas intentionis omnes actiones noſtras ſanctificat.

Dei Filius dicit in Evangelio: *Si oculus tuus ſimplex eſt: totum corpus tuum lucidum erit &c. Sin autem oculus tuus nequam fuerit; totum corpus tuum erit tenebroſum.* Sanctus Auguſtinus dicit, oculi nomine hoc in loco intelligendam eſſe intentionem, corporis autem loco, varias hominis actiones eſſe intelligendas. Cum ſancta eſt intentio, puritas intentionis ſeſe effundit uſque in totum actionis corpus: cum vero mala, actio conſequenter ſemper mala eſt, & nequam. Intentio pura rectificare nequit actionem, quæ per ſe mala eſt. Intentio pura generatim ſanctificat actiones omnes, modo illæ excipiantur, quæ per ſe noxiæ ſunt. Cum intentione prava, nulla fieri poteſt actio bona. Ita videmus in Evangelio, omnes Phariſæorum actiones noxias fuiſſe, quia malum habebant finem, pravamque intentionem; namque per invidiam, inanemque gloriam operabantur; quod illis exprobrabat Dei Filius, cum dicebat illis, eos omnia facere conſueviſſe, ut ab hominibus viderentur. *Lambart in Anno ſuo Chriſtiano. Tomo* 7.

Intentio mala ſanctiſſimas actiones corrumpit.

Intentio mala ſæpiſſime ſanctiſſimas quaslibet actiones corrumpit. Quid ſanctius, exempli gratia, quam eleemoſynam erogare? Tamen ſi eleemoſynam facis ad oſtentationem, nil præterea requiritur ad actionem tuam corrumpendam, & ex optima quæ erat, maxime noxiam efficiendam. Hypocritæ eleemoſynam erogant, ut in honore habeantur ab hominibus: hic malus eſt finis; eorum igitur eleemoſyna Deo accepta eſſe non poteſt, & jam mercedem ſuam aſſecuti ſunt. Oratio una eſt ex obligationibus divinæ majeſtati maxime jucundis; ſed ne quid de ſuo merito amittat, opus eſt, ut illam offerens rectam habeat intentionem; alioquin eſſet crimínoſa, & Deum potius irritaret, quam ab infinita illius bonitate gratias acquireret. Quod nonne ipſe mundi Salvator aperte nos docet in Evangelio, cum ſingulis noſtrum ait: cum oratis, nolite hypocritas imitari, qui ſtant in Synagogis, aut compitis, ut ab hominibus videantur. Hoc eſt maledictum virus illud, quod totam hypocritæ orationem corrumpit, efficitque, ut ille totius meriti jacturam patiatur. *Idem Ibidem.*

O R A T I O.

NECESSITAS, VIRTUS, CONDITIONES ORATIONIS, &c.

M O N I T U M.

ORatio, quæ Deo offertur, bifariam accipi poteſt; 1. tamquam tributum, quod exhibetur Deo, laus, quæ illi defertur, ſermo, qui cum divina majeſtate ore habetur, vel corde; 2. tamquam petitio ad gratiam aliquam ſeu ſpiritualem, ſeu temporalem obtinendam; atque hac in ſignificatione iſtic eſt de oratione loquendum, cum de oratione altero in ſenſu accepta, quatenus præter vocales, mentaleſque preces complectitur etiam myſteriorum noſtræ religionis, æternarumque veritatum meditationem, alibi ſermonem inſtituerimus. Hæc autem oratio, quatenus petitio facta Deo, a Salvatore præſcripta, ac toties in Evangelio commendata, ſuas habet utilitates ſuaſque peculiares leges, quæ ita latum morali diſciplinæ, utiliſſimiſque præceptis campum aperiunt, ut concionatores latius excurrere, & plures etiam hujus argumenti ſermones valeant elucubrari, copioſam iſtic ſupellectilem afferemus; nullus enim ferme eſt vel inter Aſceticos, vel inter Evangelii Præcones, qui hoc argumentum non pertractaverit.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti Structuræ.

I. ORatio æque efficax eſt, & neceſſaria. Hæc duo ſunt de fide principia, quæ ipſe Jeſus Chriſtus inſtituit, cum de hac re ad Apoſtolos ſuos ſermonem habuit, pollicitus, nihil illis in ipſius nomine petentibus negatum iri; & deinde illos redarguens, quod hactenus tutiſſimam hanc neglexiſſent rationem omnes impetrandi gratias, quas optare potuiſſent: videlicet palam Dei Filius orationi perfectam impetrationis certitudinem adjunxit; *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Joann. 6. Atque orationis neceſſitatem confirmavit, diſcipulorum ſuorum negligentiam exprobrans in praxi hujus rei, quæ tantæ neceſſitatis eſt ad eas gratias obtinendas, quibus omnino indigemus; *Uſque modo non petiſtis quidquam.* Hinc ſermonis partitio poteſt hauriri. 1. virtus orationis omnem tollere debet querimonia; 2. orationis neceſſitas teporem noſtrum calefacere debet, atque devotionis defectum damnate.

Pars prima. Non loquimur iſtic de Oratione in latiori ſenſu deſumpta pro quovis genere communicationis cum Deo; ſed in ſenſu ſtricto pro ſigno, quemadmodum illam Sanctus Thomas appellat, quo Deo teſtamur rationabile deſiderium aliquod ab illius largitate beneficium obtinendi. Omnes noſtræ contra Deum querelæ ad tria capita rediguntur, quæ Dei filius evertere voluiſſe videtur ea virtute, quam orationi conceſſit. 1. Qui omnia deſidera ſua intra temporales neceſſitates coarctant, nonnumquam obmurmurant, quod ipſorum egeſtatibus divina providentia non ſatis conſuluerit, &

quod

quod ſæculi bona nequaquam in ipſos ea, quam cupiunt, affluentia effundat. 2. Alii minus rudes in votis, ſed magis injuſti in queſtu Dominum inſimulant, quod indigentibus gratiam deneget, eoſque ſine viribus in tentatione relinquat. 3. Alii denique de Redemptore queruntur, quod in ipſorum poteſtate finalem perſeverantiam, ac prædeſtinationis ſignum collocare noluerit. Prima querela eſt vulgi, altera flagitioſorum, & hæreticorum quorumdam, tertia vero nonnullarum piarum animarum, quas timor judiciorum Dei terret. In hac igitur parte detegenda eſt horum queſtuum vanitas, & injuſtitia, oſtendendo orationem, uti opus eſt, inſtitutam, atque neceſſariis conditionibus conſociatam æque potentem eſſe ad temporis hujus neceſſaria obtinenda, ad validiorem in tentatione gratiam conſequendam, & ad finalem perſeverantiam certam faciendam. Hinc ſatis ſuperque ſuppetet copiæ ad primæ partis tractationem.

Pars altera. Impugnanda eſt eorum negligentia, quo pietatis defectus ab oratione repellit, atque oſtendendum hanc eſſe neceſſariam; quamobrem neceſſitas iſta ad duo redigi poteſt: 1. hæc eſt neceſſaria ad ſalutem via: 2. hoc eſt poſitivum Jeſu Chriſti præceptum. Neceſſe eſt orare, quia ſine oratione nulla ſalus; neceſſe item eſt, quia orationem negligere, eſt non obedire præcepto, quod nobis Dei filius impoſuit.

Probandum eſt igitur primum, orationem neceſſariam eſſe neceſſitate medii, ut inquiunt Theologi; qua in re unanimis eſt Patrum omnium ſententia, ut hoc in dubium revocare ſit nefas. Sanctus Hieronymus in Epiſt. ad Creſiph. inter cæteros argumentationem addidit auctoritati, cum oſtendit, orationem ejuſdem eſſe neceſſitatis, ac gratiam. De fide eſt, inquit ille, gratiam eſſe ad ſalutem neceſſariam; hinc igitur ſequi debet, orationem quoque eſſe neceſſariam, quandoquidem oratio quoad æternitatem nonniſi ad gratiam impetrandam inſtituta eſt. Sancti Hieronymi principium a Pelagianis minime oppugnabatur; neque enim, ait ille, eo dementiæ proceſſerant, ut Jeſu Chriſti oracula de orationis neceſſitate negarent, quæ cum veritas conſtet, multo magis altera hæc debet conſtare, ſine oratione nos nequaquam impetraturos quaſdam gratias, quæ neceſſariæ ſunt, ut validis tentationibus reſiſtamus, ut præcepta quædam difficillima adimpleamus; unde illa oritur omnium Theologorum opinio, ſin minus ſemper immediatas habeamus gratias, ut convertamur, numquam tamen nobis orationis gratiam ad illas obtinendas deeſſe. Oſtendi quoque poteſt illius neceſſitas ad religionis actus eliciendos, ſine quibus adulti ſalutem ſuam operari non poſſunt.

2. Non ſatis eſt dicere, orationem neceſſariam eſſe ad ſalutem viam; addendum etiam eſt, hoc eſſe præceptum neceſſario adimplendum; quod probari poteſt verbis Domini, qui poſitive, & explicite hoc inquit: *Oportet ſemper orare.* Lucæ 18. Hoc autem juxta Eccleſiæ traditionem, atque conflatum Patrum, Theologorumque conſenſum præceptum habendum eſt, non ſimplex conſilium &c.

II. Tria illa propter quæ homines, cum favor aliquis ab illis exquiritur, repulſam dare conſueverunt, eadem ſunt, propter quæ Deus votis noſtris ſubſcribit, & quæ ille tamquam eſſentiales orationis conditiones requirit.

Primum eſt, cum immodica eſt petitio; cum ab hominibus ea petimus, quæ vires eorum excedunt, atque extra facultatem eorum poſita ſunt, jure nobis facere detrectant. Cum Deo aliter accidit, immo e contra lædis illum, ſi nugas, & exiles res, veluti bona temporalia, ſaltem eorum quædam exquiris. Vult ab ipſo peti ea, quæ digna ſint ipſo, gratias, æternam felicitatem, omnes cœleſtes divitias, ac Dei ipſius poſſeſſionem. Petitiones noſtræ modum excedere nequeunt, quippe plura nobis promiſit majoraque iis, quæ poſſumus exoptare.

Alterum eſt, quod preces noſtræ nimis ſollicitæ ſunt, atque importunæ; qua in re ſedulo cavendum nobis eſt, ubi cum hominibus agimus. Sed cum Deo neque ſæpe nimis, neque nimis ſollicite petere poſſumus; illis enim dumtaxat gratias, favoreſque ſuos concedit, a quibus ferventius, atque ſumma cum eorum obtinendorum aviditate petuntur.

Tertio, cum incommodo tempore petimus, & ille, apud quem laboramus, aures nobis adhibendi otium non habet, vel iis rebus intentus eſt, quæ cum negotiis conciliari non poſſunt. Deus autem præſto ſemper eſt, ut nos audiat; qualibet hora, quovis momento illum interpellare poſſumus; ipſe enim nos ad petendum excitat, ac inter cetera Apoſtolis hoc exprobravit, quod nobis quoque fortaſſe objiciet aliquando, illos nihil umquam ab ipſo petiiſſe.

III. Ad bene orandum tria requiruntur, quibus deficientibus preces noſtræ Deo acceptæ eſſe non poſſunt, atque metuendum eſt, ne ab eo repellantur.

Primum: quiſnam ille eſt, quem rogamus, & ad quem nobis confugiendum eſt favorem aliquem impetraturi. Deus eſt, ſuprema illa majeſtas, quæ nos audire dignatur; ideoque ad illum cum reverentia, profunda humilitate, miſeriæ, extremæque paupertatis noſtræ confeſſione debemus accedere.

Alterum, quidnam ab eo petendum eſt; hoc ille nobis in oratione Dominica præcepit, quidquid ad illius quidem gloriam, noſtram vero ſalutem pertinet.

Tertium: modus, quo petendum eſt, videlicet, cum confidentia, fervore, ſubmiſſione, præſertim vero perſeverantia.

IV. Tria ſunt mortalium genera, qui orationis virtutem minime experiuntur, atque illis viduantur fructibus, quos alii percipiunt. 1. Qui omnino non orant; & his probanda eſt orationis neceſſitas iis rationibus, quas in hoc tractatu memoramus. 2. Qui non petunt ea, quæ opus ſunt, hi vero edocendi ſunt, quid orandum ſit, id nempe, quod ſalutem noſtram reſpicit; neque enim deſunt multa inutilia, & alia pernicioſa, quæ nobis ſe conceſſurum nequaquam recepit Deus. 3. Qui non petunt, uti opus eſt; ac his aperiendæ ſunt bonæ orationis conditiones, ut exaudiri mereantur.

V. 1. Deus ſæpe noſtras preces exaudit, cum ea, quæ petimus, negat; ea enim petimus, quibus in ipſum æque, ac nos ſumus abuſuri. 2. Sæpe nos punit concedens illa, quæ poſcimus, quia illis contra ejuſdem utentes imperia, ea excidii, noſtræque calamitatis efficimus inſtrumenta. 3. Nobis ſemper majora concedit illis, quæ poſcimus, cum ea concedere differt, quæ nobis utilia ſunt, quamvis enixe, & non ſine conditionibus neceſſariis illa flagitemus.

VI. 1. Cura, qua a Deo petimus ea, quibus indiget anima, efficit, ut corporeis quoque egeſtatibus ille conſulat: *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.* Matth. 6. 2. Submiſſio, qua a Deo petimus ea, quæ corpori noſtro ſunt neceſſaria, nec non temporalia bona, præſtantiſſima ratio eſt obtinendi ea, quæ corpori ſimul, & animæ neceſſaria ſunt. Verum ſi ordinem invertamus, periculum eſt, ut neutra aſſequamur.

Præcipuæ duæ cauſæ, propter quas ad orationem tenemur confugere.

VII. Prima eſt, quod in egeſtate nati ſumus ſexcentis animæ, corporiſque calamitatibus obnoxii, ſexcentis periculis experti, ſexcentiſque cupiditatibus acti, & undequaque a viſibilibus æque, & inviſibilibus hoſtibus laceſſiti; ſine oratione quomodo tot hæc ſuſtinere, ac tuti vivere poſſumus?

Altera eſt, quod ad Deum confugimus, Deum noſtri amantiſſimum, bonitatis plenum, ac ſemper ſubveniendo paratum.

VIII. Pro argumento, & partitione deſumi poſſunt hæc Jeſu Chriſti verba: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Uſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo: petite, & accipietis.* Joann. 16. 1. Si quid petietis Patrem, dabit vobis: hæc eſt orationis neceſſitas: 2. uſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo: hæc cauſa eſt, propter quam inutilis aliquando eſt oratio. 3. petite, & accipietis: hæc virtus eſt, & fructus orationis. Quid illam neceſſariam, quid inutilem, quid efficacem efficiat, hæ tres ſunt hujus concionis partes.

IX. Cur Deus preces noſtras non audiat; atque hæ duæ afferri poſſunt rationes. 1. Neſcimus ſæpe, quid petamus; opus eſt, Deum orationem noſtram regere. 2. Sæpe nobiſcum minime conſentimus, neque a Deo cupimus obtinere id, quod ab illo implorare tenemur; hac in re ſimiles Sancto Auguſtino, antequam perfecte converteretur, qui a Deo continentiam petebat, ac metuebat, ne ab illo voti damnaretur.

X. De orationis neceſſitate. 1. Neceſſaria eſt, ut convertamur, ſi peccatores ſumus; & ſæpe ad eum ſtatum redigimur, ubi non aliam, quam orationis gratiam habemus; qua ſi utimur, validiores, & magis immediatas obtinemus gratias. 2. Neceſſaria eſt, ſi in gratiæ ſtatu ſumus, ut tot inter pericula, tentationes, & prava exempla illam tueamur. 3. Neceſſaria eſt, ut in eo ad mortem uſque perſeveremus, ac finalem obtineamus gratiam, quam Deus paſſim orationi concedit. *Biroat.*

XI. 1. Vult Deus orari; igitur intentionem habet, ſinceramque voluntatem ea concedendi, quæ gloriæ quidem ſuæ, noſtræ vero ſaluti ſunt profutura: 2. opus habet homo ad Deum per orationem confugiendi; igitur hoc præſtare debet eo modo, quo illum flectere poſſit.

XII. 1. Vere velle oportet, quod petitur a Deo. 2. Deinde ea, quæ Deus vult, & quibus nos indigere ſcit, petere oportet.

Cur

Cur Deus ſæpe preces noſtras non audiat; & undenam fieri poteſt, quod inutiles fiant, atque careant effectu? Id tribus verbis, quæ pro concionis partitione deſumi poſſunt, docet S. Auguſtinus: *mali petimus, mala petimus, male petimus.*

1. Orantes tales non ſumus, quales oportet, in peccati ſtatu ſumus, & quin ex hoc ſtatu emergere conemur, a Deo gratias, & beneficia petimus, quas amicis tantum concedit. Igitur ſi preces noſtras exaudiri cupimus, vel in gratiæ ſtatu eſſe debemus, vel ſincera flagrare cupiditate in gratiam cum Deo redeundi. 2. Quamquam in gratiæ ſtatu ſimus, quin ſaluti noſtræ flagitemus utilia, petimus, humilia, objecta, votiſque noſtris indigna; ideo petenda ſunt bona ſpiritualia, ac digna Dei magnitudine, & magnificentia. 3. Male petimus, neque eo modo, quo petendum eſt, videlicet cum humiliate, fervore, perſeverantia, quæ tres conditiones orationem noſtra debent concomitari. *La Font, diſcurſu pro 5. poſt Pentecoſten Dominica.*

XIV. 1. Ex gratiæ neceſſitate, orationis neceſſitas inferri poteſt. 2. Ex certiſſima orationis vi certiſſima gratiæ impetratio poteſt inferri. *P. Aurelianus tomo 1. ſermonum.*

XV. 1. A Deo precibus parum obtinemus, quia nimis parum petimus, & ea, quæ divina largitate indigna ſunt, & quæ, ſin minus noxia, nobis ſaltem ſunt inutilia. 2. Quia parum illud, quod petimus, non ſatis enixe, neque cum illis conditionibus, quibus orandus eſt Deus, a nobis petitur. *P. de la Colombiere ſermone 69.*

XVI. Deum orantes eodem modo noſmet gerere debemus, quo homines precamur. 1. Conamur eorum aucupari benevolentiam, a quibus aliquid petimus. 2. Rationes afferimus, ut illos ad ea, quæ poſcimus, concedenda permoveamus. 3. Adnitimur animum eorum ad miſericordiam flectere, illis egeſtatem, ac neceſſitatem noſtram oſtendentes. *P. Texier in Dominicali.*

XVII. 1. Pauci ſunt fideles, qui a Deo petant, quod petendum eſt. 2. Pauciores qui petant, quomodo petendum eſt. *Ex ſermonibus editis ſub nomine P. Maſſillon.*

XVIII. 1. Omnipotens eſt oratio; ejus enim poteſtas non aliud eſt, quam poteſtas Dei ipſius, quæ ad orationem translata fuiſſe videtur. Hinc ſequitur, quod omnium egeſtatum noſtrarum cauſa inde proficiſcitur, quia nobis ſatis perſuaſum non eſt de certitudine remedii, quod nobis reliquit Deus. 2. Sed quia videtur propria experientia quotidie hanc poteſtatem imminuere, ad examen revocandum eſt, quid in cauſa ſit, quod oratio nobis non ſemper eſt efficax. *Ex auctore ſermonum in omnia Ethica Chriſtiana argumenta.*

XIX. 1. Obligatio; qua Dei filius petitiones noſtras exaudire tenetur, deſumpta ex illius bonitate, ex fide, qua id, quod pollicitus eſt, præſtare debet, ex propriæ gloriæ ipſi utilitate. 2. Quid Dei filium liberet, ne quod ſpopondit, exequatur; non petimus, quod opus eſt, non petimus eo modo, quo opus eſt, non petimus eo in ſtatu, in quo opus eſt.

XX. Tres magni defectus, qui paſſim in orationibus noſtris occurrunt, eas inutiles, infirmaſque reddunt.

Primus eſt attentionis defectus. Nonnumquam noſmetipſos non audimus, & a Deo audiri contendimus.

Alter eſt defectus ſubordinationis, & diſcretionis. Temporalia ſpiritualibus bona præferimus, & alia ante alia poſcimus contra ordinem a Dei filio inſtitutum; vel non petimus ea, quorum maxime indigemus.

Tertius eſt defectus patientiæ, & perſeverantiæ in orationibus noſtris.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad poſitas concionum ſtructuras exornandas.

Sancti Patres. SAnctus Auguſt. tot in locis de oratione loquitur, ut immenſi operis ſit omnes recenſere. Hi ſunt præcipui. In Pſalm. 13. oſtendit Jeſu Chriſti promiſſionem de bonis æternis, aliiſque, ſi neceſſaria fuerint, eſſe intelligendam. In Pſalmum 30. *Enarratione* 2. rationes adfert, propter quas Deus non ſemper exaudit. In 76. docet, quid a Deo petere debeamus. In 85. nobis pro certo tenendum, nos id, quod petimus, aſſecuturos, ſi nobis utile fuerit. In 125. loquitur de oratione cordis, eamque cæteris docet eſſe preferendam.

Idem *lib. 2. de ſermone Domini in monte* docet, quomodo orandus ſit Deus, & quid ab illo petendum . . . in ſerm. 28. *de verbis Domini ſecundum Lucam*, & in ſerm. 28. egregiam habet orationis Dominicæ expoſitionem; & ſerm. 171. *de Tempore* loquitur de perſeverantia in oratione, & docet cum quadam importunitatis ſpecie orandum eſſe. In Epiſt. 120. *ad Honoratum de gratia novi teſtamenti* docet, Deum votis noſtris non ſubſcribere, ut aliquid melius concedat.

Idem *tract. 73. in Joannem* docet, quid a Deo petendum ſit, & cur ſæpe oratio noſtra non exaudiatur. Hoc ipſum oſtendit tract. 102. in cap. 16. Evangelii Sanctis Joannis. In tractatu ſexto in primam Sanctis Joannis Canonicam oſtendit aliquos a Deo in ſupplicium exaudiri, aliquos ad majorem utilitatem repelli. In Pſ. 144. conſolatur eos, qui queruntur, quod illos non exaudiat Deus, eiſque oſtendit orationem ſemper maximæ eſſe utilitatis.

S. Gregorius nequaquam S. Auguſtino infrequentius locutus eſt. In ſextum Pſ. Pœnitentialem oſtendit, quanti referat in oratione perſeverare. Decimo Moralium libro cap. 17. & 18. plurima adfert, eaque utiliſſima monita ad hoc argumentum ſpectantia. Ex lib. 26. cap. 14. rationem adfert, propter quam Deus non ſemper ſanctorum preces exaudiat.

S. Chryſoſtomus duos edidit libros *de orando Deo*, & aliquot ſermones, de oratione. In Pſ. 4. oſtendit, qua confidentia in neceſſitatibus ad Deum confugiendum ſit. In Pſ. 129. quo pietatis fervore majeſtas divina ſit oranda. In Homil. 79. ad populum Antiochenum, oſtendit quocumque in loco orari poſſe. Sermone 22. in Sancti Matthæi plerorumque Chriſtianorum damnationem orationis defectui refert acceptam. In libro ſecundo de orando Deo oſtendit, ſanctos per preces ſuas gentium, totiuſque mundi conſervationem eſſe. Homil. 9. cap. 6. Sancti Matthæi loquitur de perſeverantia in oratione. In Homil. 23. in eumdem Sanctum Mathæum eorum adfert exempla, qui per perſeverantiam a Deo votis damnati fuere. In variis ſermonibus tomi primi, ſermone de Moyſe oſtendit vim, & poteſtatem orationis, ubi in illa perſeveramus. In Homilia de divinæ naturæ incomprehenſibilitate, de qualitatibus, quæ in oratione requiruntur, verba facit. In ſermone de Chananæa, qui in tomo 6. invenitur, plurima habemus de oratione. In Homil. 38. in Geneſin rationem reddit, propter quam Deus ſæpe differt juſtis poſtulata concedere.

S. Hieronymus explicans hæc verba Pſ. 5. *intellige clamorem meum*, docet clamorem hunc cordis potius eſſe debere, quam vocis, ut a Deo exaudiatur. In lamentationes Jeremiæ cap. 3. loquitur de perſeverantia in oratione.

S. Gregorius Nyſſenus librum edidit de oratione, & ſermone primo in hoc argumentum oſtendit Deum orandum eſſe.

Tertullianus quoque hujus argumenti tractatum edidit.

S. Cyprianus in tractatu, quem in Dominicam orationem conſcripſit, plurima habet pulcherrima.

Origenes *lib. 8. in Epiſt. ad Roman.* hæc explicans verba: *Nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus*, rationes adfert, propter quas Deus non ſemper juſtorum præces exaudit.

S. Ephrem ſermonem habet de oratione, ubi rationem docet orandi.

S. Baſilius *lib. de Regulis fuſius diſput.* docet quomodo intelligenda ſit Jeſu Chriſti promiſſio: *Petite, & accipietis. Cæſarius Arelatenſis, Homil. 29.*

S. Chryſologus ſerm. 43.

S. Fulgentius Epiſt. 4. *Hæreſeologia.*

S. Thomas ſermonem habet in hæc verba: multum valet deprecatio juſti aſſidua.

S. Bonaventura in ea: *Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.*

Aſcetici aliique. Infinitus prope Aſceticorum eſt numerus de oratione loquentium. Qui vero huic argumento uberiorem copiam ſuppeditare, mea quidem ſententia, poſſint, hi ferme ſunt.

Ludovicus Granatenſis in tribus libris de Meditatione, & oratione.

Alphonſus Rodriquez part. 4. tractatu primo c. 9.

Jacobus Alvarez. Tomo 3.

Euſebius Nierembergius de Adorat. in ſpiritu, & veritate.

Theophilus Bernardus lib. 6. integro.

Nicolaus Lancicius. Opuſc. 7. & 11.

Ignatius Barſamon. Tractatu de modo orandi.

Petrus Sanchez de Regno Dei part. 7. cap. 3.

Franciſcus Arias *tom. 2. tract. 7.*

Bernardinus Roſſignolius *lib. 4. de Diſcipl. Religion.*

Tridentini Concilii Catechiſmus part. 4. ubi fuſius agit de iis omnibus, quæ ad hoc ſpectant argumentum.

Buſæus in Præfatione Meditationum.

Dionyſius Carthuſianus in operibus minoribus tom. 2.

Franciſcus Coſterus: De inſtitutione Chriſtiana lib. 11.

Petrus Caniſius in opera Catechiſtica quæſt. 1. ſeq.

Dandinus libro, cui titulus: *Ethica Sacra*, prolixum habet de oratione tractatum, ubi ea omnia retractat, quæ ad hoc argumentum referuntur.

Auctor Moralis Chriſtianæ in *Pater* magnum opus ſuum orditur ex præliminari quæſtione de oratione generatim.

Abbas Trappenſis in vitæ monaſticæ officiis tomo primo cap. 11. loquitur de modo in oratione tenendo.

Savonarola expoſitionem edidit in orationem Dominicam.

P. Chahn in libro cui titulus, *Scientia ſalutis* cap. 2. loquitur de magna orationis poteſtate.

Liber, qui inſcribitur Theologia moralis S. Auguſtini tractatu tertio cap. 2. loquitur de oratione.

Liber, cui titulus; de oratione, jejunio, & eleemoſyna D. Bartholomæi Carranza.

Nicole in tractatu orationis in ſeptem libros diviſo.

Baptiſta Januenſis Lugduni editus.

Cameracenſis Epiſcopus tractatu de vera pietate.

Liber cui titulus: Veræ Orationis idea parte prima cap. 5. & ſeq.

Liber cui titulus: Tractatus de oratione.

P. Croiſet tomo ſecundo conſiderationum ſuarum, tractatu de oratione vocali.

P. Nepveu in Chriſtianis conſiderationibus pro omnibus anni diebus in tomo oſtendit, cuinam rei orationis virtus innitatur. In altero, cur tantum virtutis habens non ſemper affectum obtineat. In tertio de orationis neceſſitate. In quarto de conditionibus, ne careat effectu.

P. Antonius de Sancto Martino a Porta, libro, qui titulus: *Les conduites de la Grace*, part. 4. docet orationem viam eſſe ad finalis perſeverantiæ donum obtinendum.

Nuperi Concionatores qui hujus argumenti ſermones ediderunt. Aſſerere quoque licet, paucos eſſe concionatores; qui de hoc argumento non egerint. Qui locuti ſunt juxta hodiernam concionandi rationem, vel qui copiam ſuppeditare poſſunt, ut juſti, ſolidique hujus argumenti ſermones fiant, hi ferme ſunt.

P. Delingendes in tomo 2. quinque deinceps habet ſermones, ubi ſolide tractat, quidquid de hoc argumento dici conſuevit.

P. Reina ſermone 8. Quadrageſimæ.

Biroat in Quadrageſima ſermone de Chananæa.

Idem in ſeparato volumine ſermone in tertiam Dominicam poſt Paſcha.

Maimburg in Quadrageſima.

P. Duneau in Adventu, pro feria ſecunda poſt quartam Dominicam, & in Quadrageſima ſermone de Chananæa, ubi potiſſimum loquitur de orationis perſeverantia.

P. Texier in Dominicali ſermone pro tertia poſt Epiphaniam Dominica.

Lambert ſermone 8. de vita Eccleſiaſtica.

La Font ſermone pro quarta Dominica poſt Paſcha.

Auctor ſermonum Chriſtianorum, ſermone pro eadem die, & in idem Evangelium.

Formentiere in quadrageſima.

Auctor ſermonum moralium.

In dictionario morali tomo 4. duos invenies deinceps ſermones de oratione cum animadverſionibus pluribus.

P. De la Colombiere tomo 4. ſermone 69.

P. Aurelianenſis tomo 1. ſermone de oratione.

P. Bourdalove ſermone in Evangelium Chananææ.

P. Maſſillon in ſermonibus ejus nomine inſcriptus, ſermone pro feria quinta hebdomadæ primæ in Quadrageſima.

Joly propoſitione pro quinta Dominica poſt Paſcha.

P. Girouſt in quadrageſima ſermone de Chananæa.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta duos habet hujus argumentis ſermones, alterum in Quadrageſima in Evangelium Chananææ; alterum in Dominicali Dominica quinta poſt Paſcha.

In ſpeciminibus ſermonum plura ſunt ſermonum compendia de oratione, hoc eſt quatuor deinceps in primo Quadrageſimæ tomo. In tomo primo Dominicalis. Unus pro tertia Dominica Adventus: Unus pro quarta poſt Epiphaniam Dominica. Unus pro quinta Dominica poſt Paſcha.

Qui collectanea ediderunt. Granatenſis in locis communibus. Titulo *Oratio.*

Buſæus *in Viridario.*

Drexellius *in Rethorica Cœleſti, & in Roſis.*

Rainerius de Piſis, *in Pantheologia.*

Summa Prædicantium Berchorius Labatha.	Titulo *Oratio.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

NON *eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris*, Deuter. 4.

Quoniam ad te orabo, Domine, mane exaudies vocem meam. Pſal. 5.

Subditus eſto Domino, & ora eum. Pſalm. 36.

Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum. Pſalm. 33.

Reſpexit Deus in orationem humilium, & non ſprevit precem eorum. Pſalm. 101.

De profundis clamavi ad te, Domine, Domine exaudi vocem meam. Pſalm. 129.

Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, & miſericordiam ſuam a me. Pſalm. 65.

Ut quid, Domine, repellis orationem meam, avertis faciem tuam a me? Pſalm. 87.

Qui declinat aures ſuas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. Proverb. 28.

Longe eſt Dominus ab impiis, & orationes juſtorum exaudiet. Proverb. 15.

Non impediaris orare ſemper. Eccli. 18.

Humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio. Judith. 9.

Ad vocem clamoris tui ſtatim ut audierit (Deus) reſpondebit. Iſaiæ 30.

Tu noli orare pro populo hoc, ne aſſumas pro eis laudem & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te. Jerem. 7.

Clament ad Dominum in fortitudine, & convertatur vir a via ſua mala: quis ſcit, ſi convertatur, & ignoſcat Deus? Jonæ 3.

Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum. Eccli. 18.

Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis. Matth. 7.

Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. Matth. 26.

Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis. Marc. 11.

Oportet ſemper orare, & non deficere. Luc. 18.

Ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: omnis enim, qui petit, accipit. Luc. 11.

Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. Joan. 14.

Amen, amen dico vobis, ſi quid petierit Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joan. 16.

Petite & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum. Ibidem.

Hi omnes (diſcipuli) erant perſeverantes unanimiter in oratione. Act. 1.

Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus; ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gentibus inenarrabilibus. Ad Roman. 8.

Chriſtus Jeſus, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Ibidem.

Orabo ſpiritu, orabo & mente. 1. ad Cor. 14.

Orationi inſtante, vigilantes in ea. 1. ad Col. 4.

Sine intermiſſione orate. 1. ad Theſſ. 5.

Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Ad Hebr. 4.

Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis, Jacob. 4.

Eſtote prudentes, & vigilate in orationibus. 1. Petri 4.

Hæc eſt fiducia, quam habemus ad eum: quia quodcumque petierimus ſecundum voluntatem ejus, audit nos. 1. Joan. 5.

Orate pro invicem ut ſalvemini: multum enim valet deprecatio juſti aſſidua. Jacob. 5.

Scimus, quia peccatores Deus non audit: ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit. Joan. 9.

Exempla ex Veteri Novoque Teſtamento deprompta.

Exemplum Jacob, qui cum Angelo luctatus eſt. CUM Scriptura abundet exemplis orationis virtutem probantibus, & ea omnia, quæ ad hoc pertinent argumentum, explicantibus, omnia ſingillatim memorari non poſſunt. Inſigniora tantum, atque ſuggeſtui aptiora afferemus.

Primum quod ſeſe nobis offerat exemplum, & quod ſit figura virtutis, quam habet oratio ad flectendum Deum,

Deum, eique vim quodammodo inferendam, ut ea, quæ petimus nobis concedat, exemplum eſt Jacob cum Angelo, vel ſi mavis, cum Deo ſub mutuata figura luctantis, eumque ſibi benedictionem impertire cogentis. *Non dimittam te niſi benedixeris mihi*. Geneſ. 32. Ubi quærit Origenes, cur Deus ſancto huic Patriarchæ dixerit, ut ipſum dimitteret, quia jam illuceſcebat aurora; & quare ab eodem recedere, ac ſeſe expedire voluerit? Hanc autem fuiſſe cauſam reſpondit, quod Jacob illum omni vi urgebat, ut ſibi ab illo benediceretur, cumque Deus moras necteret, metuebat, ne adventante diluculo illi repulſam dare videretur: *Quaſi erubuerit Deus, ſi quis videret Jacob deprecantem, & eum non illico exaudientem.*

Virtus orationis Moyſis in clade Amalecitarum.

Moyſis oratio in ea victoria, quam Iſraelitæ retulerunt de Amalec, majorem profecto partem ſibi vendicat, quam omnia tela, & gladii, quibus illi uſi fuerunt. Donec Moyſes manibus in Cœlum ſublatis orabat, prælio ſuperiores erant Iſraelitæ; qui, ubi ille dimittebat manus, jamjam terga vertere incipiebant: itaut oportuerit duos viros hinc inde manus orantis ſuſtinere, donec pugnam permanſit ut Moſes quidem ſublatas, tenere poſſet manus, Iſrael vero cumulatiſſimam de hoſte victoriam reportaret. Ita populus Dei per orationem hoſtibus cladem inferebat. Quod ſi belli quoque, cujus exitus ab humanis viribus pendere videtur, Deus precum meritis victoriam concedit; quod tandem erit in ſpirituali bello, quod contra noſtræ ſalutis hoſtes bellamus adeo fortes, atque terribiles? Precibus, gemitibuſque noſtris vim obtinebimus reſiſtendi, eoſque ſuperandi, ac iiſdem Dei leniemus iram contra nos, fratreſque noſtros ſuccenſam, verbo, oratione in partes noſtras Deum pertrahemus, atque virtute induti votorum ſummam aſſequemur.

Exemplum Aaron ad eamdem rem pertinens.

Hoc ipſum accidit in ſeditione, quæ contra Moyſem, & Aaronem exarſit propter mortem Chore, Dathan, & Abiron, quam illis populus referebat acceptam. Hac re adeo indignatus eſt Deus, ut populum univerſum delere vellet, ac jam quatuordecim millia Iſraelitarum igne deleverat, cum Aarone Moyſi juſſu inter mortuos, morienteſque progreſſo, manu thuribulum gerente, atque thus, preceſque pro populo offerente, plaga ceſſavit; eoque his armis utente Dei ira lenita eſt. Ad hæc illud quoque accedit, quod cum Deus extollit brachium puniturus, facile oratio manum ejus ſuſpendit, atque Deum prohibitura ſe inter, ac illum intercedit. Vellet ille vulnera non inferre, cupit ſibi vim fieri ab amicis, quærit aliquem, a quo prohibeatur, cumque neminem invenit, dolore conficitur: *Quæſivi de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam, & non inveni*. Ezech. 22.

Exemplum David, qui orationi ſæpe vacabat.

Nemo unus ignorat, quam familiaris regi David fuerit uſus orationis; & nullus dubito, quo minus per hanc factus fuerit vir ſecundum cor Dei. Proſpero rerum curſu frueretur, vel adverſa jactaretur fortuna; tentatio illum invadere adniteretur, vel interiori pace gauderet; deliberandum, vel agendum eſſet, indeſinenter confugiebat ad Deum. Satis eſt Pſalmorum aperire librum, ut liqueat illos non laudibus tantum, quibus Deum celebrat, ſed petitionibus, quibus illum orat, diffluere: modo illi dicit, conſurge Domine in adjutorium mihi; modo, deduc me Domine, & doce me vias tuas; modo, tuos, meoſque inimicos confunde, ne ſinas me proſpero rerum curſu intumeſcere, vel afflictionibus obrui, & modo, adjuva me Domine, ut ex iniquitatibus meis emergam, fac, ut mea expleam officia, atque ſanctæ legis tuæ mandata diligentiſſime ſervem. Hoc orationis pane enutritus, qua vi repletus fuit? de quo triumphum referre non poterat? De quo reipſa triumphum non referebat? Hic erat vir ſecundum cor Dei, quia erat vir orationis.

Dei auxilium patienter expectandum eſt exemplo Judith.

Bethuliæ civibus orationis defectum Juditha exprobravit. Cum ab Holopherne obſiderentur, precibus, jejunio, pluribuſque ſacrificiis, quæ obtulerunt, cilicio induti, cineribuſque conſperſi confugerunt ad Deum; quibus in exercitii cum diu perſeveraſſet, cum hoſtibus paciſci decreverant, & Ozias ſacerdos ſe urbem traditurum ſpoponderat, niſi intra quintum diem allatæ ſibi fuiſſent ſuppetiæ. Verum cum hæc promiſſio contumelioſa Deo a Juditha cenſeretur, hæc audacter Magiſtratus redarguit: quinam vos eſtis, ut Dominum tentare audeatis? Nonne hic modus eſt illum ad iracundiam potius provocandi, quam ad miſericordiam flectendi? Quid? divinæ bonitati ſpatium temporis præſcripſiſtis, eique ſtatam indixiſtis diem, qua vobis ferret opem? Ille nobis auxilium pollicitus eſt, quamvis noſmet protectione illius indignos præbuerimus; expectemus ergo ſine impatientia opem ejus. Quamquam diutius, quam optaremus, ſuppetia differat, ne ſtatim ab oratione recedamus, quia non adeo celerem illius effectum intuemur. Deus in mora ſua habet conſilia, & mora hæc nobis utilior eſt eadem, ut oportet, utentibus, quam ſi ſtatim in arena poſtulata concederet. Quis ſcit, utrum quod a Deo petimus, quamvis in ſe bonum, nobis profuturum ſit, & utrum adhuc nobis conveniat; atque propter hanc rationem a Deo in tempus aliud reſervetur? Eventus profecto docuit, utrum jure ſancta mulier Bethuliæ civibus hæc exprobraret.

Pretio Reginæ Eſther apud Aſſuerum.

In libro Eſther cap. 5. legimus, regem Aſſuerum non expectaſſe, donec ab ipſo Regina Eſther aliquid peteret: illam prævenit, atque invitavit, ut peteret, dicens: *Quid vis Eſther Regina? quæ eſt petitio tua?* Illa tunc nihil petiit, niſi quod rex hunc ipſi honorem impertire dignaretur ad illud ſe conferendi convivium quod ei præparaverat. Non abnuit ille, atque iterum quæſivit, ut peteret: *Quid petis, ut tibi detur?* Tunc opportunum nacta tempus adeo propitia occaſione uſa eſt, ut populi ſui vitam, propriamque peteret incolumitatem detegens periculum, in quo tota Hebræorum natio verſabatur, niſi illud regis miſericordia præverteret. Sed opus non eſt nos occaſionem quærere, & inveſtigare commoda fandi tempora apud illum, cui vota noſtra nuncupamus. Quodvis tempus commodum eſt; quovis momento ad illum accedere poſſumus; certi ſumus illum preces noſtras, ſi juſtæ, ac ipſo dignæ fuerint, exauditurum.

Antiochi oratio a Deo non exaudita.

Scriptura 2. Mach. 9. ait, quod *orabat* Antiochus *ſceleſtus ad Dominum, a quo miſericordiam non erat conſecuturus*. Orabat, ſed quid orabat! Putaſne illum manſuetudinis, & humilitatis ſpiritum petiiſſe? nequaquam. Numquid ſpiritum religionis, ut tot profanationes repararet? Ne id quidem. Quid ergo? valetudinem, vitam. Verum eſto, ſi hanc petiiſſet, ut ageret pœnitentiam, ut adimpleret ea, quæ per ſervilem metum, & non ſincere promittebat: ideo preces illius repulit Deus non ſecus ac inanem pœnitentiam.

Quemadmodum nimis longum eſſet omnia afferre illorum exempla, qui per orationem inſignes a Deo gratias obtinuere, ita quædam dumtaxat præſtantiora in medium proferemus.

Miracula per orationem in lege veteri patrata.

Per orationem Moyſes Dei iram prohibuit, quæ in populum Iſrael erat ſævitura; Joſue ſolem remoratus eſt; Elias de cœlo ignem detraxit, Manaſſes miſericordiam obtinuit, regnique ſolio redditus fuit; David ſceleris remiſſionem conſecutus eſt, & Ezechias vitæ ſuæ quorumdam annorum acceſſionem impetravit. Per orationem Ninive ſervata fuit, Judith Bethuliam obſidione liberavit, & Eſther populum Dei ab interitu vindicavit. Per orationem Salomon ſapientiam obtinuit, Elias pluviam, & ubertatem, Suſanna innocentiæ ſuæ præſidium contra nequiſſimos calumniatores. Per orationem Moyſes ſine labore maximas victorias reportavit; maria ſciſſa ſunt, ut prætereunti populo viam præberent; ignes vehementius accenſi repente extincti ſunt, leones manſueti facti ſunt, mœnia validiſſima, & fortiſſima propugnacula ſolo æquata ſunt per orationem denique dæmones, infernuſque totus debellati fuere.

Exemplum Jobi.

Sanctus vir Job in ſterquilinio ſuo ſeipſum tamquam peccatoris figuram conſiderans, patheticis vocibus ſuam exprimit calamitatem. Quæritur, quod tota carnis ſuæ ſubſtantia contabuerit, quod cutis ad maciem redacta oſſibus hæreat. Verum in adeo triſti ſtatu hanc ſibi reliquam eſſe conſolationem teſtatur, quod videlicet habet adhuc labia, quibus ſuas preces effundat. Hic enim unus eſt ex illis ſenſibus, quos Sancti Patres his tribuunt verbis: *Derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos*. Job 9. Hæc profecto extrema felicitas eſt, quam peccatores infinito habere debent in pretio.

Salvatoris exemplum.

Dei filius nequaquam ſatis eſſe putavit diſcipulis, & in eorum perſona fidelibus omnibus imperare, ut ſæpe orarent, & ad orationem, tamquam tutiſſimum in qualibet tentatione aſylum confugerent; illis exemplum etiam præbere voluit, atque hoc probare fere jugem neceſſitatem hujuſmodi. Non enim ſolum fere ſemper orabat, verum integras etiam noctes in ſancta hac exercitatione traducebat. Neceſſitas, quæ nobis eſt orationis, diſcipulos ejus impulit, ut die quadam cum ex eo petiiſſent: Domine doce nos orare; ſimul & orandi rationem illis præſcripſerit, & illos in hanc ſpem adduxerit futurum, ut quidquid hoc pacto peterent, aſſequerentur.

Duæ Evangelii parabolæ oſtendunt, neceſſariam eſſe orationis perſeverantia ad obtinenda ea, quæ a Domino petimus.

Numquam promiſit Deus ſe ſtatim ea, quæ poſtulata fuerint, conceſſurum, & oblectatur, ut ita dicam, videns ſe importunis precibus cogi. Palam hoc oſtendunt parabolæ, quas hoc in argumentum Salvator proponit. Prima eſt; amicum habes, ait, & venit ad te noctu rogaturus, ut mutuos des illi tres panes, ut cœnam

cœnam inſtruat amico, quem forte non expectatum excepit hoſpitio. Si huic reſpondes, nimis eſſe ſero, ac te cubitum iviſſe, ideoque illi gratificari non poſſe, & nihilominus ille oſtium pulſare non ceſſet, ac importunis te precibus fatigare, conſurges tandem, & quod flagitat, erogabis non tam ob amicitiam, quam ob importunitatem. *Ego dico vobis: petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis*. Matth. 7. & Luc. 11. Hac parabola docet Salvator, perſeverantiam in oratione eſſe neceſſariam. Non ſatis eſt ſemel, vel bis pulſare; perſiſtendum eſt, donec tibi aperiatur.

Alteram quoque proponit parabolam ad rem eamdem pertinentem de judice quodam, de quo in Evangelio ſuo loquitur S. Lucas. Filius enim Dei aſſerit judicem hunc, quamvis neque Deum metueret, neque ullam mortalium rationem haberet, victum fuiſſe tamen enixis precibus, quibus vidua quædam illum indeſinenter fatigavit: ita ut illius cedens aſſiduitati quidquid petebat, eidem conceſſerit. Quid ergo? Deus qui ipſa bonitas eſt pro petentibus id non præſtabit, quod pro importuna vidua iniquiſſimus judex?

Publicani exemplum oſtendit orationem eſſe debere cum humilitate conjunctam.

Vulgatiſſimum humilis orationis exemplum eſt Publicani Evangelici, qui ſtans in ipſo aditu templi præ peccatorum ſuorum multitudine oculos in cœlum non audebat attollere: ita humilis illius oratio a Deo exaudita fuit, atque peccatorum veniam obtinuit. Oratio ex corde ſuæ indignitatis, & miſeriæ cognitione confecto Dei miſericordiam prometuit: *Deus propitius eſto mihi peccatori*. Luc. 18. Idcirco Sacer Textus addit illum, qui in templum peccator venerat, domum juſtificatum rediiſſe. E contra vero ſuperbus Phariſæus, qui, quin ſua confiteretur peccata, ac Domini miſericordiam imploraret, ſuum pexebat elogium, ſuas virtutes, & præclare facta oſtentabat, a Deo projectus fuit, & oratio illius cumulum addit numero iniquitatum ejus ſecundum Prophetæ imprecationem: *Oratio ejus fiat ei in peccatum*. Pſ. 108.

Quam potens apud Deum oratio Magdalenæ.

Humilis, ferventiſque orationis exemplum nobis præbet mulier peccatrix, quæ vivo criminum ſuorum dolore acta ad Salvatoris pedes procubuit, eoſque lacrymis irrigavit. Ex omnibus illis, qui in Evangelio ad Dei filium confugiſſe narrantur, ne unus fortaſſe quidem inventus eſt, quem aliquod boni temporalis deſiderium impulerit, & qui aliquid ad majorem corporis utilitatem non experierit; hic oculorum aciem ſibi reddi petit, ille filii, vel famuli incolumitatem; alius orat, ut filia a dæmone vexata liberetur: multitudo languentium ſecus viam, illum præſtolabantur, & ſanabantur omnes. Magdalena peccatrix prima ad illum per amorem ſe confert illum ſecundum ejuſdem intentionem orat, eumque animarum Salvatorem agnoſcit. Nullum vel ſolatium, vel commodum flagitat, ſed veniam peccatorum, & hanc nonniſi pœnitentiæ ſignis audet poſtulare.

Exempla virtutis, quam habet oratio.

Multitudo exemplorum eorum, qui curati, vel converſi per orationem fuere, nimis magna eſt, ita ut omnia referri non poſſint. En tamen eorum quædam. Per orationem cœcus lumen recepit, mulier Chananæa filiæ ſalutem obtinuit. Per orationem Mariæ, & Marthæ Lazarus frater earum reſuſcitatus eſt, & orante Stephano Paulus ex Eccleſiæ perſecutore factus eſt vas electionis. Per orationem fidelium S. Petrum Eccleſiæ caput carcere liberatus eſt. *Oratio fiebat ab Eccleſia ſine intermiſſione pro eo*. Actor. 2. & per orationem Spiritus Sanctus in Apoſtolos in cœnaculo congregatos deſcendit.

Applicationes quorumdam Scripturæ verborum huic Argumento.

Quam vim habeat oratio ad Dei iram leniendam.

D*imitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos*. Exod. 32. Volebat Deus internecione delere filios Iſrael, eo quod aureum vitulum adoraverant. Moyſes pro illis intercedit, & ait: Cur Domine exardeſcit furor tuus contra populum tuum, quem manus tuæ virtute, ac potentia de Ægypto eduxiſti? Ne tribuas, quæſo, locum Ægyptiis dicendi: illos callide iſtinc eduxit, ut illos in montibus interficeret, eorumque nomen deleret . . . . . *Dimitte me*, Dominus inquit, *ut deleam eos*. Verum quid hoc? S. Auguſtinus q. 149. ſup. Exod. ait, *Dimitte me*? Quis te prohibet, vel prohibere poteſt? Quis manus tuas vincere, quis tuæ voluntati poteſt obluctari? Quare ergo dicis: *Dimitte me*? Quia certe, ſanctus his Doctor inquit, oratio iræ illius effectum impedit & hoc nobis per illa verba indigitavit; *Dimitte me*; quæ quidem verba neque imperantis ſunt, alioquin peccaſſet Moyſes non obediens; neque rogantis, quia Deus creaturam non rogat; ſed hoc unum dumtaxat ſignificant, Dei videlicet iram precibus inhiberi, & flecti poſſe; quod idem S. Hieronym. inquit in illa Jeremiæ cap. 7. verba: *Tu noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.*

Deus nos ad petendum invitat.

Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum. Apoc. 3. Cum Deo non ſufficiat hortari, ſuadere, invitare, & præcipere, ipſe oſtium noſtri cordis pulſat, ut nos aliquid ab eo petere cogat. Quid enim aliud ea ſignificant verba: *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo*? Quicumque pulſat ad oſtium, petit ſibi aperiri. Cum domus dominus pulſat, hoc petit præcipiens; ſin autem Dominus non eſt, petit orans. Verum quidem eſt Deum cordis noſtri dominum eſſe; at cum nobis integrum relinquat illi aditum vel intercludere, vel aperire, agit nobiſcum, quaſi non eſſet dominus, adeoque videtur petere flagitans. Non ait; per vim ingredi volo; *ſed ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam intrabo ad illum.*

Cupiditates, & peccata noſtra magno ſunt impedimento, ne preces noſtræ exaudiantur.

Oppoſuiſti nubem, ne tranſeat oratio: Thren. 3. Cupiditates, inordinatæ affectiones noſtræ, & mox peccata denſam objiciunt nubem, quæ prohibet, ne oratio noſtra ſeſe in cœlum attollat, & ad thronum uſque Domini aſcendat. Obicem ponunt vi orationum noſtrarum; quia, niſi confugiamus ad clementiam hujus Dei miſericordiarum cum maximo ſcelerum noſtrorum dolore, & animo obtinendi gratiam converſionis ſinceræ, denſam nubem efficiunt, ne precibus quidem perfodiendam: quin immo hæc bonorum deſideriorum, & ajaculationum cordis noſtri aciem retundit: *Oppoſuiſti nubem, ne tranſeat oratio.*

Vult Deus a nobis peti ea, quæ nobis neceſſaria ſunt.

Petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis. Matth. 7. Sanctus Auguſtinus ait, in ſtatu innocentiæ hanc futuram fuiſſe cum cæleſti beatitudine, cujus erat imago, ſimilitudinem: & quemadmodum in Paradiſo nihil niſi Dei laudes, & gratiarum actiones propter illius beneficia audiuntur, ita hominum in terris officium tunc non aliud fuiſſe futurum, quam adorandi, amandi, laudandi perfectiones Dei, eique gratias agendi ob ea beneficia, quibus fuerant cumulati; ſed ex quo de beato illo ſtatu decidimus, vult Deus, præter has laudes, atque gratiarum actiones, ſæpe aſſiduis, & ferventibus orationibus id nos petere, quod nobis neceſſe eſt; ita, Tertullianus ait, ut quemadmodum Deum amiſimus bonorum omnium auctorem lædentes illum, eumdem jugi, vel ſaltem crebra, ac iterata oratione inquiramus. Ita terra antequam homo peccaret, huic affluenter ſuppeditabat ea, quæ ad corporis vitam erant neceſſaria, ſed poſt illius noxam, nonniſi laboribus exculta id parit, quo indiget ille: Deo nolente, niſi enixis exoretur precibus, concedere in rebellionis ejuſdem pœnam ea, quæ alioquin in animæ, non ſecus atque corporis alimoniam ſola ſua bonitate ſubminiſtraſſet.

Quo in ſenſu intelligendũ eſt, Deum nobis omnia conceſſurum.

Omnia quæcumque petieritis in oratione, credentes accipietis. Matth. 2. Senſus horum verborum magis ſimplex, & naturalis non eſt, ipſa etiam viliſſima vobis concedentur; ſed potius, ea, quæ maxime pretioſa ſunt, vobis non negabuntur. Magnus aliquis princeps, qui aliqua in occaſione regiæ liberalitatis ſuæ documenta præbiturus ſubdito ſpopondiſſet ſe nihil negaturum; hic princeps, inquam, certe non putaret, ſe datam non præſtare fidem ſubditi rejiciens poſtulata, qui poſt promiſſionem adeo magnificam exiguum aliquid, panis offam, vel aliud ſimile peteret.

Oratio debet eſſe clamor cordis.

Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Pſalm. 101. His verbis docemur orationem in clamorem potius, gemituque cordis, quam in oris vocibus debere conſiſtere. Domino calamitatem noſtram expone, eumque orare, ut miſericordes oculos in nos convertat, oratio eſt illi acceptiſſima, & qua facilius nobis obtinere poſſumus illa, quibus indigemus, quam iis omnibus, quæ recitantur ex habitu, qui ad illud, quod dicimus, attendamus: cum tempus, quod orationi impeditur, ut plurimum illid ſit, quo magis domeſtica negotia animo volvimus.

Diverſæ bonorum, malorumque hominum petitiones.

Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ. De pinguedine terræ, & de rore Cœli deſuper erit benedictio tua. Gen. 27. Ritæ hæc verba conſiderate, Sanctus Chryſoſtomus inquit, & videbitis varios loquendi modos in hac duplici benedictione. Quid petit Iſaac pro Jacob filio ſuo? Primum cœleſte ros, ſpirituales benedictiones, deinde vero terræ bona. Hæ preces illum ſequuntur ordinem, quem Dei filius præſcripſit Matth. 6. & Luc. 12. *Quærite primum regnum Dei*; & ideo Jacob fuit felix. Sed pro Eſau: *De pinguedine terræ*; primum magnæ petuntur opes, terrenorum bonorum affluentia, & deinde bona cœleſtia: hic illius calamitas; terrena quippe ante cœleſtia bona quærebat.

Tri-

Triſtis figura terribilis veritatis. Videte quomodo plerorumque fidelium preces inſtituantur: omnes pro eodem fine laborant, quilibet cœleſtia, terrenaque flagitat bona: verum quænam eſt orationis plurimorum mortalium natura? A Deo petunt ingentes opes, bonam valetudinem, bonam exiſtimationem, terræ pinguedinem, ac deinde cœli bona requirunt. Invertunt ordinem filii Dei, & hoc tot reprobos facit. Sed viri boni a Deo primum quidem ſpirituales petunt benedictiones, æternitatis bona, virtutum praxim, quod autem ad hujus mundi bona pertinet, nobis Domine id tribue, quod tibi placuerit, & hoc illos efficit ſanctos.

Oratio eſt gemitus corā Deo.

Gemitus meus a te non eſt abſconditus. Pſal. 37. Cum docet Scriptura quid ſit oratio, promiſcue utitur verbis petendi, atque plorandi. Gemitus, & oratio in ſacra lingua unum, & idem ſunt. Tunc ſolum oratur, cum gemitur, & Deo accepta oratio non eſt, niſi cum gemitus noſter ſincerus eſt . . . . . Oramus igitur cum noſtram ſentimus infelicitatem, & cum noſtræ calamitatis intuitus efficit, ut ad illum clamemus, qui unus nos inde poteſt eripere. Videte ſenſum hunc ad vivum a Regio Propheta expreſſum, qui cum animo altius inſederit, ſemper exemplar erit eorum, qui orandi modum edoceri voluerint: *De profundis clamavi ad te Domine.* Pſalm. 129. Ille ſuam agnoſcit miſeriam, quæ eidem extrema videtur; miſeriæ ſuæ cognitio illum clamare cogit. Scit unum eſſe Dominum, qui opem ſibi poſſit afferre; ideoque ad hunc unum ſuos gemitus, clamoreſque dirigit.

Ex cœleſti parte digna ipſo petenda ſunt.

In quo clamamus: Abba Pater. Ad Rom. 8. Abuſus eſt arbitrari, eo quod filii Dei ſumus, ideo jus nobis eſſe ea, quæ placuerint, petendi. Hæc e contra adeo nobilis qualitas prohibet ſæpe, ne votis damnemus, quia petimus ea, quæ indigna ſunt eo ſtatu, qui Angelis pares nos efficit, regnique cœleſtis hæredes. Petitiones noſtræ nequaquam reſpondent nobilitati adeo glorioſæ nativitatis; humilia, & futilia, quæ poſcimus, indigna ſunt, quæ vota fiant, ac deſideria filiorum Dei. Divina iſta qualitas magis nobiles, magiſque generoſos ſenſus nobis debet immittere, & efficere, ut ſancta ſuperbia calcemus quæcumque vitæ hujus bona, cogitatione, & corde æterna dumtaxat quæſituri.

Oratio facit ut Deum pro principe agnoſcamus.

In quacumque die invocavero te, ecce cognovi, quia Deus meus es. Pſalm. 55. Non poſtremus orationis uſus eſt facere, ut Deum pro Domino, arbitroque bonorum, quæ petimus, habeamus, ac palam teſtemur; quippe oratio ipſa manifeſtum eſt hujus ſententiæ teſtimonium. Utique, Deus meus! Cum coram te meas preces effudi, te Deum meum confeſſus ſum; in ſtatu peccati mei non erat mihi iſte ſenſus, & non poteram fere te Deum meum vocare excæcatus peccato: ſed ubi ad te confugi, Sanctus Propheta Rex inquit, ut miſericordiam, & converſionem meam peterem, tunc cognovi, te Deum meum eſſe, ac ſupremam poteſtatem tuam confeſſus ſum.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum huic Argumenti.

R*Ecte novit, vivere, qui recte novit orare.* Auguſtinus, Hom. 40. de diverſis.

Oratio juſti clavis eſt cœli, aſcendit precatio, & deſcendit Dei miſeratio. Idem Serm. 225.

Ne deficias in oratione; Deus quod promiſit conceſſurus eſt, & ſi differt, non aufert. Idem, in Pſalm. 65.

Si fides deficit, deficit oratio: quis enim orat, qui non credit? Idem, de verbis Domini.

Nullum credimus ad ſalutem niſi Deo invitante venire, nullum invitatum, ſalutem ſuam niſi auxiliante Deo operari, nullum niſi orantem auxilium promereri. Idem vel potius Gennadius lib. de Eccleſ. dogmat.

Alias Deus dat non orantibus, ſicut initium fidei; alia nonniſi orantibus, ſicut in finem uſque perſeverantiam. Idem lib. 2. de bono perſeverantiæ.

Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis. Idem.

Deus non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad ſalutem. Idem, in Pſalm. 85.

Ipſe ſalvator eſt non ſolum quando facit quod petimus, ſed etiam quando non facit; quoniam quod videt peti contra ſalutem, non faciendo potius ſe axhibet ſalvatorem. Idem, Tract. 37. in Joann.

Servat tibi Deus, quod non vult cito dare, & ut tu diſcas magna deſiderare. Idem, Sermone 5. de verbis Domini.

Non petitur in nomine ſalvatoris, quidquid petitur contra rationem ſalutis. Idem Tract. 102. in Joann.

Sicut Deus non poteſt non audire orationem noſtram, quia Deus eſt, ſic non poteſt non exaudire, quia pius eſt. Idem Hom. 12. ex 50.

Deus novit quid nobis in hac vita expediat, & quid poſt hanc vitam daturus ſit. Idem, in expoſ. Epiſt. ad Roman.

Inane eſſe non poteſt, quod vehementer rogatur ab eo, qui fons eſt miſericordiarum. Idem, in Pſalm. 6.

Ipſe Chriſtus ſalvator eſt, non ſolum quando facit quod petimus, ſed etiam quando non facit: quia quod videt peti contra ſalutem, non faciendo potius ſe exhibet ſalvatorem. Auguſt. tract. 37. In Joann.

Sive voce, ſive ſilentio oremus, corde clamandum eſt. Idem, ſerm. 90. de temp.

Frigus charitatis ſilentium cordis eſt, flagrantia charitatis clamor eſt cordis. Idem, in Pſalm. 37.

Quædam non negantur, ſed congruo tempore differuntur. Idem, tract. 102. in Joann.

Exaudit Deus cardinem deſiderii tui; non curat quod nunc petis, ut in te faciat quod ſemper petis (nempe felicem eſſe.) Idem, lib. 5. Confeſſ. cap. 8.

Quid jam non det filiis petentibus, cum hoc ante dederit ut filii eſſent? Idem, Serm. 2. de verbis Domini.

Quiſquis pro aliis intercedere nititur, ſibi potius ex charitate ſuffragatur, & pro ſemetipſo tanto citius exaudiri meretur quanto magis devote pro aliis intercedit. Gregorius in Moral.

Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci, ideo tibi dicitur: regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud. Idem. Homil. in Quadrag.

Conditoris auribus illa maxime oratio commendatur, qua pro inimicis quoque intercedere nitimur. Idem, in Moral.

Cave ne ab oratione deficias, ſi diſſimulat audire ille quem rogas, eſto violentus, & vim etiam ipſis inferas cœlis. Idem, in 6. Pſalm. Pœnit.

Vis Deum te audire in tuis orationibus, cum in eum non audias in ſuis præceptis. Idem.

Non importunitatis vereamur offenſam, quia hæc apud Dominum importunitas opportuna eſt. Hieron. in c. 61. Luc.

Ferventiſſimi in terrenis, frigidiſſimi in cœleſtibus ſumus. Idem, Epiſt. ad Demetr.

Inter cætera ſalutaria monita, & præcepta Chriſtus etiam orandi ipſe formam dedit, ipſe quid precaremus monuit, & inſtruxit. Cyprianus de orat. Dom.

Aptiſſima arma oratio eſt, theſaurus certe perpetuus, divitiæ inexhauſtæ, parens, fons, & radix bonorum omnium. Chryſoſt. Hom. 30. de Geneſi.

Arbitror cunctis eſſe manifeſtum, quod ſimpliciter impoſſibile ſit, abſque precationis præſidio, cum virtute degere, cumque hac vita curſum peragere. Idem, lib. 1. de orando Deo.

Prorſus accipies, modo & ſi talia poſtulaveris, quæ & illum, cui petitur, dare deceat, & accipere tibi, qui precaris, expediat. Idem Homil. 24. in Matth.

Is non aberret, qui omnis virtutis, juſtitiæque matrem eſſe precationem affirmet. Idem, orat. 2. de precat.

Qui orat & peccat, non Deum rogat, ſed deludit. Idem vel quivis alius Author operis imperfecti ſuper Matth.

Oratio eſt petitio decentium a Deo. Joann. Damaſcen.

Omnipotens oratio, cum ſit una, tamen omnia poteſt. Theodoretus.

Quotidie, omni momento oratio neceſſaria eſt. Tertull. in exhortat. ad caſtitatem.

Magnam injuriam Deo facio, cum illum precor, ut meam precem audiat, quam ego qui fundo, non audio: deprecor illum ut mihi intendat, ego vero nec mihi, nec illi intendo. Bernard. lib. de anima.

Quæ fidelis, & humilis, & fervens oratio fuerit, cœlum ſine dubio penetrabit, unde certum eſt quod vacua redire non poſſit. Idem, in quodam Sermon.

Humilitas orationem commendat. Ambroſius, lib. de Cain & Abel, c. 9.

Apud patrem non intercedit extraneus; intus eſt in patris pectore, ipſe qui intervenit, & exorat affectus. Sanctus Chryſologus Sermone 2. de filio prodigo.

Pater meus es tu: quid ultra procedam? Quid ultra dicam? Quid ultra petam? Pater meus es tu. Aug. 3. part. ſtimulat. Amor. cap. 14.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu ad hoc argumentum valeat adferri.

Orationis definitio.

ORatio quatenus petitio facta Deo, ſecundum D. Thom. 2. 2. quæſt. 8. art. 3. proprie eſt actus religionis, quo noſmet ſubjicimus Deo, atque fatemur, nos illius ope, atque auxilio indigere quatenus auctoris bonorum omnium, atque omnipotenti ad conſolendum neceſſitatibus noſtris . . . . . Vel ſecundum alios quoſdam Theologos oratio eſt effuſio cordis in Deum ad illi explicandas neceſſitates noſtras, atque opem in calamitatibus noſtris petendam. Hoc in ſenſu oratio complectitur cognitionem neceſſitatum noſtrarum, & deſiderium inde emergendi, quod efficit, ut confugiamus ad Deum qui unus mederi poteſt.

Hic animadvertendum eſt cum D. Thoma, orationem ad religionem, & charitatem referri; quippe præcipit religio, ut Deus oremus, & hoc officium eſt, & honor, quem illi tamquam bonorum omnium auctori deferimus, ſed charitas ea peti jubet, quæ opus eſt: *Aliquid petere a Deo cadit ſub præceptum religionis; recta ſapere, ſub præceptum charitatis.* Quamobrem Sanctus Paulus ait, Spiritum Sanctum, qui eſt charitatis principium, pro nobis orare, hoc eſt efficere, ut cum ſancti gemitibus oremus.

Qui dicunt orationem eſſe cordis elationem in Deum, vel animæ cum Deo colloquium, hi de oratione loquuntur, quatenus eſt familiaris communicatio cum Deo, non autem quatenus petitio, qua illum obſecramus: quamquam S. Bonaventura non longe diſtet ab aliorum Theologorum ſententia, cum orationem eodem in ſenſu definit, in quo illam iſtic accipimus. Colloquium, quod habemus cum Deo, in quo cum ipſo agimus de iis, quæ ad noſtram ſalutem pertinent, & in quo ſpirituales, ac temporales neceſſitates noſtras eidem exponimus.

Utrum ad alios præter Deū per Orationem in neceſſitatibus cōfugere valeamus.

Quæſtionem hanc Doctor Angelicus proponit articulo quarto; utrum Deus unus orandus ſit, videlicet utrum ab uno illo petenda ſint ea, quibus indigemus? Et reſpondet, ſi petitionum noſtrarum complementum ſpectetur, nos Deo uni preces effundere poſſe, & debere, quia unus ille nobis ea poteſt elargiri, quæ petimus: verum addit, Angelos quoque, & ſanctos veluti benignos patronos orari poſſe, qui propriis orationibus, meritiſque procurent, ut orationes noſtræ exaudiantur a Deo. Ita, Sanctus hic Doctor addit, hæc eſt Eccleſiæ praxis Sanctiſſimam quidem Trinitatem, ut miſereatur noſtri, Sanctos vero, ut pro nobis intercedant, orantis.

Poſſumus ſingillatim aliquid a Deo petere.

Hæc etiam ab eodem Doctore quæſtio proponitur articulo quinto, utrum determinate hanc, vel illam gratiam, hanc, vel virtutem, hujus, vel illius affectus victoriam petere valeamus: & concludit a nobis determinate petenda eſſe gratiæ bona, quibus noſmet magis indigere cognoſcimus, & per quæ beatam æternitatem acquirere, & mereri poſſumus, idque juxta exempla ſanctorum, atque Eccleſiæ pro quibuſdam peculiaribus neceſſitatibus orationem præcipientis; nec non in oratione Dominica habemus eorum rerum ordinem, quæ ab æterno Patre petendæ ſunt.

Poſſumus a Deo etiā hæc terrena petere, ac licite ob ea preces effundere.

Idem Angelicus Doctor hanc docet veritatem, poſſe nos precibus a Deo licite terrena precari, tamquam auxilia, atque ſubſidia, quorum ope facilius ad æternam beatitudinem perveniamus, non autem ut in illis conquieſcamus. Et ratio, quam adfert, hæc eſt, quod licet a Deo petere ea, quæ licet optare. Verum licet hujuſmodi optare bona, quatenus non mediocris eſſe poſſunt adjumenti ad vitæ conſervationem, & ad charitatis opera exercenda; & hoc pacto temporalia iſta bona eſſe poſſunt ſalutis noſtræ inſtrumenta: ſed orationibus, per quas illa a Deo petimus, hoc ineſt peculiare; quod hæc non ſine conditione, ſi ſaluti noſtræ profutura ſunt, petere debemus: ratio enim, propter quam Deus paſſim poſtulata negat, hæc eſt, quia ea nobis obfutura prænoſcit. Quoad ea, quæ nobis omnino ſunt neceſſaria, & quæ ſub *quotidiani panis* nomine in dominica oratione comprehenduntur, Dei filius illa a nobis ſibi peti jubet; & hic quidam veluti honor eſt, quem Creatoris noſtri providentiæ deferre debemus.

Non ſolū pro nobis, ſed pro aliis etiā orare poſſumus.

Non pro nobis ſolum poſſumus orare; poſſumus etiam, & ſæpe hoc præſtare debemus pro proximo, & a Deo eadem bona petere, quæ pro nobis poſcimus, juxta illud Sancti Jacobi Apoſtoli præceptum, quo viciſſim alii pro aliis precari jubemur; ita ut quemadmodum neceſſitas nos cogit, ut Deum pro nobis oremus; & ea quæ nobis ſunt neceſſaria flagitemus, charitas ſimiliter nos Deum pro fratribus noſtris orare cogat, ac pro illis petere, quidquid ſaluti eorum aliquod conferre poteſt: quod ad ipſos uſque inimico extenditur. Sed hoc ad aliud pertinet argumentum, de quo alibi ſermo fuit.

Deus vult orari quamvis agnoſcat neceſſitatem noſtram, & ſatis gnos diligat, ut illi conſulat.

Cum ſacer Textus aſſerere videatur multa oratione opus non eſſe, quia Pater noſter cœleſtis noſtras neceſſitates agnoſcit, antequam ab eo quidquam petamus: cur igitur Dei filius, poſtquam hanc veritatem nos docuit, præcipit nobis, ut ſemper oremus? Sancti Patres, atque Theologi hunc explicantes locum de petitionibus, quæ Deo fiunt rerum, quæ vel parum utiles, vel etiam nocuæ ſunt, deque illis, quæ fiunt ſine reſignatione, plures adferunt rationes, propter quas præcipit Deus, ne ab oratione ceſſemus. Hæ autem præcipuæ ſunt. Prima: quia ſemper colendus eſt, & nobis numquam abſiſtendum eſt, quo minus jugi hoc cultu, & honore profiteamus ipſum Dominum, Patrem, & Creatorem noſtrum eſſe, ac noſtram vitam, omniaque noſtra bona ab illo pendere, & nos univerſa ab illius bonitate, ac miſericordia expectare. Altera eſt, quia vult a nobis ea deſiderari bona, quæ petimus, & oratio certiſſimus eſt effectus hujus deſiderii; nam quamvis plurima ipſe nobis conferat, quæ ab illo minime petimus, puta, fidei principium, bonamque voluntatem, atque nos ille ſua gratias prævertat, immo etiam orandi mentem, ac deſiderium injiciat; attamen quod ad alias attinet gratias, quæ ad bene vivendum requiruntur, orare vult; non quod graviſſimam egeſtatem noſtram non noverit; non quod ſi velit, nequeat non exoratus opem ferre; ſed ad horum bonorum deſiderium excitandum atque per hoc efficiendum, ut eorum pretium intelligamus; cum hæc a nobis contemni melius teſtatum facere nequeamus, quam per negligentiam petendi, atque per orationis noſtræ frigiditatem. Tertia denique ratio eſt, ne ipſi gloriemus, & ne nobis acceptam referamus bonorum operum gloriam, conſiderantes illa effectum eſſe ſubſidii, & auxilii, quod enixis poſtulationibus noſtris conceſſit Deus.

Quid a Deo potiſſimū peti poſſit & debeat.

A Deo petere licet ea, quæcumque legitime peti poſſunt, juxta explicitam illam Evangelii promiſſionem: *quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Patet enim per hæc verba, per quæ omnia ſe nobis recipit conceſſurum, nihil negaturum eſſe nobis, dummodo preces noſtræ eas habeant conditiones, quas ille requirit. Ordo itaque a nobis in deſideriis, & petitionibus noſtris ſervandus eſt: 1. illas ad Deum tamquam finem referre: 2. ea concupiſcere, per quæ arctius eidem adhærere poſſimus; ac tandem fugere quidquid nos ab eo ſeparat, vel quodammodo poteſt ſeparare. Igitur ſeu perfecta fruamur valetudine, ſeu affluenter alia exteriora corporis bona poſſideamus, ſemper meminiſſe debemus, ideo a nobis data fuiſſe, ut facilius Deo quidem inſerviremus, proximo vero opem feremus, hunc in illorum partem vocantes. Quoad mentis bona, qualia ſunt artes, & ſcientiæ, hac una tantum ſub conditione ea petere licet, ut aliquid & Dei gloriæ, & noſtræ conferant ſaluti.

Undenā oratio vim habeat impetrādi ea, quæ a Deo petimus.

Semper cum D. Thoma ſupponendum eſt, orationem non ex ſe, naturaque ſua vim habere id certiſſime impetrandi, quod a Deo cupimus obtinere. Immo de eſſentia eſt orationis, ſi in ſeipſa conſideretur, repulſa pati poſſe; alioquin oratio non eſſet, ſed imperium. Hac eadem de cauſa ſupponendum, neque ex nobis orationis hanc virtutem accedere; ad id enim opus eſſet, ut aliquod meritum, vel bonum haberemus, quod eſſet in cauſa, ut vel ob juſtitiam, vel ob utilitatem, non poſſet Deus poſtulata rejicere. Virtus ergo orationis, propter quam certiſſime exauditur, non aliunde eſſe poteſt, niſi a Deo: cujus rei quatuor in Scripturis cauſæ afferuntur. Prima eſt amor, quo nos complectitur Deus: *Non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis: ipſe enim Pater amat vos.* Joan. 10. Altera eſt ipſius Jeſu Chriſti interceſſio apud Patrem, apud quem, ut S. Joannes ait, noſter orator eſt. Tertia eſt ſecretus influxus, quem in Chriſtiana oratione habet Spiritus Sanctus, qui efficit, ut oremus: *Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ad Roman. 8. Quarta demum, quæ orationem certiſſimam præſtat, eſt ſolemnis promiſſio, qua Deus ſe illam exauditurum ſpopondit: *petite, & accipietis.*

Utrum Deus peccatores exaudiat, & quos exaudiat.

Vulgo hæc proponitur quæſtio, utrum Deus peccatores exaudiat? Cæcus a nativitate palam negavit, cum a Phariſæis interrogatus; a quo viſum recepiſſet, reſpondit Joann. 9. *Scimus, quia peccatores Deus non audit.* Sanctus Auguſtinus ait hominem hunc locutum, cum nondum luſtralibus aquis ablutus eſſet, neque ſatis inſtructus, quia Deus peccatores exaudit; alioquin non exaudiviſſet Publicanum, qui pectus ſuum percutiens dicebat. *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Luc. 18. Sed quid reſponderet Sanctus Auguſtinus regio Prophetæ dicenti: *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Pſalm. 65. Non exaudiet Deus illum, qui aliquam in corde ſuo iniquitatem agnoſcet. Auctoritates iſtæ ſimul conciliari poſſunt, ubi duo peccatorum genera diſtinguantur; quorum alii actus peccatis ſuis adhæreſcunt; de quibus intelligenda ſunt verba David, non exaudiri a Deo illos, qui in corde ſuo aliquam vident iniquitatem, in qua permanere volunt. Alios vero peccati pœni-

pœnitet; iſti converti cupiunt, atque converſionis ſuæ gratiam a Domino petunt, velut Publicanus. Hi, uti Sanctus Auguſtinus ait, non tamen ſemper, & certiſſime voti damnantur in iis omnibus, quæ petunt; ſed in ſola juſtificatione, quam Deus peccatori pœnitenti promiſit.

Quo in ſenſu intelligendus ſit Spiritus Sanctus orare pro nobis.

Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram, Apoſtolus ad Rom. 8. inquit; *nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus. Sed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* Spiritus Sanctus triplici modo noſtram adjuvat infirmitatem: 1. docens quid petere debeamus: 2. docens quomodo petere debeamus: 3. Injiciens nobis voluntatem orandi tanto cum fervore, ut orantes ingemiſcamus. Macedoniani, & Eunomiani Spiritus Sancti negantes divinitatem hoc loco abutebantur; inde enim inferebant, Spiritum Sanctum non eſſe Deum; quia Spiritus Sanctus neque orare poteſt, nec gemere. At Sancti Patres reſpondebant, ab Apoſtolo hac loquendi ratione, *Spiritus poſtulat pro nobis*, non aliud ſignificari, niſi quod efficit, ut poſtulemus juxta illud, quod ante dictum erat: *Adjuvat infirmitatem noſtram*. Nam auxilium facienti dumtaxat præbetur, ſed qui niſi adjuvetur, facere nequit. Propriis viribus orare non poſſumus, uti opus eſt; hoc eſt de fide: igitur Spiritus Sanctus efficit, ut oremus.

Orationis utilitas.

Per orationem non fides ſolum augetur, & roboratur, ſed ipſa etiam charitas; fieri quippe non poteſt, ut per orationem confitentes, quod facimus, Deum eſſe omnium bonorum noſtrorum auctorem, non excitemur ſimul ad illum ex toto corde diligendum. Orationi præterea hæc utilitas ineſt, quod præſentiſſimum remedium eſt ad omnes hoſtium impetus infringendos, omneſque eorum inſidias eludendas; hoc enim unum ex illis eſt, quæ in Dominica oratione poſtulamus. Quamobrem Sanctus Hilarius ait, orationis robur, atque vim opponendam eſſe armis, quibus contra nos utitur dæmon. Tertia utilitas eſt, quod divinam cohibet iram; quamobrem Scriptura animadvertit, Deum dixiſſe Moyſi, a quo prohibebatur, ne initum contra Iſraelitas conſilium exequeretur, ut ſe pœnas de impiis ſumere ſineret. Et ſane nihil aptius eſt ad iram Dei leniendam, ac inhibendum ultionum ejus effectum; neonon celerius detorquenda indignationis ejus tela, quam piorum virorum preces, quemadmodum in Scriptura videmus. Neque minoris eſt utilitatis ad vitia evellenda, omneſque virtutes acquirendas; nam per orationem eas, quibus ad id indigemus, gratias conſequimur.

Orationis neceſſitas.

Orationis neceſſitas in Evangelio ita conſtituta eſt, ut fideles ambigere nequeant. Verum id noſtra edoceri debemus experientia; quandoquidem ſemper iis indigemus, quæ ad vitam corporis ſervandam, & ad animæ ſalutem procurandam neceſſaria ſunt, quæ nonniſi per illam poſſumus obtinere; quia præſtantiſſima, vel dicam melius, unica via eſt, qua Deo egeſtatem noſtram repræſentare poſſimus, atque opem neceſſariam ab eo referamus. Quemadmodum enim ille nemini debet, nonniſi per orationem votorum noſtrorum ſummam conſequi poſſumus. Certum etiam eſt, non deeſſe res quaſdam, quas hac una ratione poſſumus obtinere, quemadmodum ex decurſu patebit. Verum cum doceant Theologi duplicem eſſe neceſſitatis ſpeciem, quarum alteram medii, præcepti alteram vocant, operæ pretium eſt ſcire, & auditores de utraque certiores facere, quatenus pertinet ad orationem.

Cui rei innitatur neceſſitas vocalium orationum.

Cum non minus corpore conſtemus; quam ſpiritu, pietas non exigit ſolum a nobis, ut Deum ſpiritu, quæ uni tantum noſtri pars eſt, adoremus; in hunc uſum impendendæ quoque ſunt omnes corporis noſtri facultates, inter quas vox aptiſſima eſt, atque ad id potiſſimum deſtinata videtur. Societas, quam invicem homines habent, alia ratio eſt, quæ neceſſariam facit orationem vocalem, ut illi inter ſe mutuam producant ædificationem. Nam quemadmodum vocis uſu impii ſeſe mutuo in malo confirmant, atque per impudicas cantiones corruptio gliſcit in mundo, nihil æquius eſt, quam vocem, ſacroſque adhibere cantus ad animas ad pietatem alliciendas, illis cœli veritates ad guſtandum præbendas, atque alternis cohortationibus ultro citroque ſeſe ad illarum praxim excitandos.

Quamvis perfecti ſimus ceſſare non debemus ab oratione.

Quamvis perfectæ, & ad ſublimem orationis gradum evectæ animæ æque familiariter cum Deo verſarentur, ac olim Apoſtoli cum Jeſu Chriſto, ab oratione ceſſare non deberent; non enim alia conditione ille nobis eas ſe conceſſurum gratias recepit, quas nobiſmetipſis nos præſtare non poſſumus. Solus miſeriarum, quibus ſtipati ſumus, intuitus, & quarum non mediocrem partem ad mortem uſque pertrahimus, ſatis hoc nobis perſuadere debet; etenim inter infelicitatem, & orationem, ut Sanctus Auguſtinus inquit, adeo neceſſarius nexus adeſt, ut ex quo mortalis eſt miſer, ſtatim orationi debeat vacare: *Ex quo miſer, ex hoc & orans.*

Peccatores omnino indigent oratione.

Inde liquet in peccatoribus neceſſariam eſſe orationem, quod in Eccleſia jejunium, eleemoſyna, & oratio ſemper habitæ ſunt tamquam tres partes ſatisfactionis cui pœnitens ſeſe ſubjicere debet. Sed plurimi ſunt, qui ſe jejunare non poſſe putent ſeu propter corporis affectam valetudinem, ſeu propter nimios labores. Multi eleemoſynam erogare nequeunt, quia nullius rei habent arbitrium, neque eo in ſtatu ſunt, ubi proximo poſſint opitulari. Sed in oratione nulla eſt excuſatio; quilibet illi pro modulo ſuo vacare poteſt, & qui ab hoc etiam pœnitentiæ opere ſe diſpenſant, palam ſe nullam agere velle pœnitentiam teſtantur.

Oratio eſt ſubmiſſio, qua præſtatur Deo, & noſtræ infirmitatis confeſſio.

Quid eſt oratio niſi generalis ſubmiſſio, quam homines debent Deo, & proteſtatio, qua ſe quidem ab illo pendere, illi vero imperium, ac dominationem in ipſos eſſe profitentur? Illi ſuam fatentur neceſſitatem; & hac ratione oſtendunt, Deum nouum poſſe, ac vellem opem ferre; quorum altero ejus bonitatem, altero vero potentiam fatentur. Hic honor eſt, quem deferunt Deo, & qui orationis meritum, atque præſtantiam oſtendit. Hinc fit, quod oratio actus eſt religionis, quo divinitatem confitemur; ideoque nulla umquam licet falſa, vana, & ſuperſtitioſa religio fuit, ubi numini, quod in ea colebatur, preces oblatæ non fuerint; quia oratio religioni eſt eſſentialis.

Deus in ordine providentiæ orationi tantum ſuas gratias, & peculiaria beneficia concedit.

Verum eſt Deum generali hac propenſione, qua ſeſe communicare gaudet, & amore particulari, quem in corde fovet pro omnium mortalium ſalute, nonnumquam ſuas impertire gratias non petentibus; & aliquando peccatores ipſos in tenebris eorum inquirere eos gratiæ ſuæ luminibus illuſtraturum, tunc etiam cum ipſi ab eo fugiunt, ac per ſcelera ſua longius ab illo recedunt; ſed communiter, & ſecundum conſuetæ providentiæ ordinem loquendo electas gratias, & peculiares favores orationi tantum concedit; qua in re Theologi animadvertunt inter naturæ, & gratiæ beneficia hoc diſcriminis intereſſe; Deum videlicet indiſcriminatim omnibus largitatem ſuam concedere in iis, quæ ad naturam pertinent, quin hæc ab ipſo petantur, & quin ad illius bonitatem quiſquam confugiat. Ita ad hoc ut Sol oriatur, precibus opus non eſt, & ſæpe hoc ſydus ſupra caput noſtrum affulget, antequam oculos ad eum videndum aperuerimus. Hoc ipſum de anni temporibus, aere, elementiſque dicendum. At ſupernaturalia, gratias, auxilia, dona, favoreſque ſuos vult a mortalibus peti: *Petite & accipietis.* Cur hoc? 1. ut intelligamus nos in iis, quæ graviſſima ſunt, ab illo pendere debere; 2. ut ſciamus ſalutem noſtram in manibus ejus eſſe, quandoquidem a noſtris orationibus pendet.

Oratio ad ſalutem eſt neceſſaria neceſſitate præcepti.

Cum ſermo eſt de neceſſitate orationis ad ſalutem conſequendam, Theologia duo diſtinguit genera neceſſitatis, alteram medii, alteram vero præcepti. Hæ voces ſcholam quidem redolent, verum ab illis cavendum non eſt. Præcepti neceſſitas illa eſt, quæ educitur ex explicato præcepto, quod nobis Dei filius irrogavit. Præceptum hoc his terminis expreſſum eſt: *Oportet ſemper orare. Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem* &c. Luc. 18. & Matth. 26. Sed præter hanc præcepti neceſſitatem, affirmant Theologi orationem adhuc eſſe neceſſariam neceſſitate medii; hoc eſt, abſolute neceſſariam, atque ſtrictæ neceſſitatis ad converſionis gratiam obtinendam, ad continuandum juſtificationis ordinem, ad perſeverandum in gratia, ad virtutes adipiſcendas: cumque hæc omnia neceſſaria ſint ad ſalutem conſequendam, oratio, ſine qua nullæ obtinentur gratiæ, neceſſaria quoque eſt de neceſſitate medii: non quod Deus alio pacto nos ſalvare non poſſit, ſed quia ita in providentiæ ejuſdem ordine conſtitutum eſt.

Probabile eſt Deum ſine oratione ſufficientia tantum præbere auxilia.

Suarez, qui inter Theologos magna floret nominis celebritate, in tractatu de oratione ait, Deum, qui non rogatus etiam tribuit, quod neceſſarium eſt, atque ſatis, fortaſſe non alia abundantia ſine oratione præbere ſubſidia. *Niſi media oratione.* Non quod aliter agere nequeat Deus, addit ille, ſed quia ita agere vult; atque id ipſum velle palam innoteſcit ex neceſſitate orandi, quam imperio ſuo nobis impoſuit. Æquum ſane eſt, nos petere ea ſaltem, quæ deſunt, & quæ habere deſideramus; præſertim vero ſi fuerint gratiæ maximi pretii, quales ſunt gratiæ ſupererogationis. Addi etiam poteſt, quemadmodum providentia utitur in naturalibus effectibus cauſarum ſecundarum cooperatione, æquum eſſe, ut eamdem in ſupernaturalibus, & iis, quæ ad ſalutem noſtram pertinent, regulam ſervet. At minima, quam a nobis exigere valeat Deus, cooperatio, oratio eſt.

Inde

Cur non omnes orationes noſtræ exaudiantur.

Inde occaſio ſcandali oboriri, atque fides experientia oppugnari videtur, quod ſæpe oramus, quin exoremus. Verum quin iſtic dicam eorum omnium, qui non exaudiuntur, orationes neceſſariis carere qualitatibus ad hoc, ut eam habeant certitudinem, quam Deus illis adjecit, ſola Sancti Thomæ argumentatio ſatis eſt ad eluendas eorum querimonias, qui in egeſtatibus ſui cœlum inſimulant. Honeſta dumtaxat, S. Doctor ait, & utilia petenda ſunt: & hujuſmodi orationes dumtaxat irritas non futuras promiſit Deus; alioquin Dominus ſibi neceſſitatem injeciſſet graviſſimis quibuſcumque iniquitatibus ſubſcribendi, atque in injuſtitiæ inſtrumentum innocentiſſimum religionis officium vertendi. Patet igitur non poſſe Deum vel injuſta exaudire deſideria, vel nos damnare votis pernicioſis, quæ ſine ulla ratione concipimus; Deus non eſt pater crudelis, qui filio ovum petenti porrigat ſcorpionem. Impetrationis facilitas ſemper hanc ſupponit conditionem: ſi opes, ſi proſpera fortuna eſſe debet in manibus noſtris ſalutis inſtrumentum, illam precibus certiſſime conſequemur; at ſi videt Deus futurum, ut per illam a virtutis ſemita deflectamus, ille nequaquam concedet, quod in æternam ceſſurum eſt nobis infelicitatem. Verum meminerimus, ſi orationis certitudo conditionalis tantum eſt pro bonis corporis, illam abſolutam eſſe, & ſine ulla exceptione pro bonis animæ.

Fides in oratione requiritur.

Firma opus eſt fide; hæc potiſſima eſt, magiſque neceſſaria diſpoſitio ad hoc, ut oremus quemadmodum oportet; etenim ſine fide haberi nequit cognitio omnipotentiæ, & miſericordiæ Dei, quæ nihilominus fundamentum eſt confidentiæ, quam in precibus noſtris habere debemus. Hoc nos docet Jeſus Chriſtus his verbis: *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis.* Hanc veritatem Sanctus Auguſtinus ſermone 30. de verbis Domini confirmat, cum ait fruſtra orari a non habentibus fidem; eamque Sanctus Paulus adſtruit oſtendens, oppoſitum fieri nullo modo poſſe: Quomodo, inquit ille, invocabunt, in quem minime credunt? Fides orationem præcedere debet, oratio vero deinde fovere finem, per quam utiliter deprecamur.

Patri preces nuncupandæ ſunt in nomine Filii.

Ut efficax oratio fiat, prima, & potiſſima conditio eſt, illam Patri æterno in Jeſu Chriſti nomine dirigere: etenim per divini hujus mediatoris merita illud acquirit pondus, ac pretium, propter quod benigne a Patre cœleſti exauditur. Hoc nobis pluribus in Evangelii locis Jeſus Chriſtus promiſit: *Amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Jo. 16.

Crebro eſt orandum.

Oratio frequens eſſe debet, & fere aſſidua; nihil enim hac frequentia magis efficere poteſt, ut promptius orationum noſtrarum effectus obtineamus. Exemplum judiciis illius, de quo loquitur Sanctus Lucas, hoc apertiſſime probat; quem Dei filius ait, quamquam ille nullam Dei, hominumve rationem haberet, tamen commotum fuiſſe enixis precibus, quibus illum paupercula vidua fatigabat, atque ejus victum aſſiduitate, quidquid ab ea petebatur, conceſſiſſe. Quamobrem cavendum eſt, ne imitemur ignavos homines, qui cum ſemel, aut bis aliquid rogaverint, niſi quod poſtulabant, ſtatim conſequuntur, ceſſant omnino ab oratione.

Earum rerū, quæ in orationibus petendæ ſunt ordo.

Si preces tuas a Deo exaudiri vis, pete nominis illius ſanctificationem, voluntatis ejuſdem complementum, gloriæ ipſius poſſeſſionem, antequam petas panem quotidianum, aliaque victui neceſſaria. Hunc ſi ordinem invertis, ſi mundi antequam cœli bona rogas, oratio tua non exaudietur; Deus enim illorum dumtaxat vota ſe auditurum ſpopondit, qui præſcriptum a ſe ordinem orantes ſervaverint. Quem ordinem? hunc; *Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Matth. 6. Verum ſi ordinem pervertis, ſi temporalia antequam cœleſtia poſtulas, vel terrena bona, quin hæc ad cœleſtia referas, ad quæ via eſſe debent, Deus tuas preces rejiciet.

Non deſunt peccatores excæcati, induratique non aliam, quam orandi gratiam habentes.

Terribilis hæc veritas eſt; de qua tamen mihi maxime perſuaſum eſt, peccatores poſt diuturna, ac nefaria flagitia eo nonnumquam pervenire, ubi non alia illis ſupereſt ad ſeſe convertendos gratia, quam orationis. Si Deum rogaverint, Deus tanget eos; ſin minus, Deus illos in ipſorum obduratione relinquet: ideoque non alia ipſis ſpes eſt, non alia ſalus niſi per orationem. Hoc Sanctus Auguſtinus oſtendit: hominis, qui peccati habitum contraxit, voluntas, Sanctus hic Doctor ait, ſæpe non habet amplius gratiam adimplendi juſtitiam, & ſervandi præcepta Dei, ſed illam tantum humili petitione implorandi auxilium Dei, ut hujus petere poſſit imperiis. *Hoc enim reſtat libero arbitrio, non ut impleat homo juſtitiam cum voluerit, ſed ut ſe ſupplici pietate convertat ad eum, cujus dono poſſit implere.* Hoc nihil apertius.

Duplex eſt gratiarum genus ad evitandum peccatum, & moleſtiſſimis tentationibus reſiſtendum. Aliæ quidem immediatæ ſunt, quæ videlicet immediate agunt in intellectum, & voluntatem: aliæ vero mediatæ, ut loquuntur Theologi, quæ ſolum inſerviunt ad priores illas, immo & gratiam juſtificantem, obtinendas. Putandum non eſt, Deum juſtis ſemper concedere primas, atque immediatas gratias ad ſuperandas tentationes; ſatis enim putat, illis orationis tantummodo gratiam concedere, ut hac utentes per hanc alias obtineant. Hinc ſequitur, quod quamvis juſti ſimus, ſtatim ad orationem confugere debemus. Eadem enim ratio, quæ nos tentationi reſiſtere, & peccatum evitare jubet, jubet etiam, ea a nobis adminicula poſtulari, per quæ ad finem hunc perveniamus. Hæc autem neceſſaria adminicula ſæpe orationum dumtaxat meritis concedunt.

De publica oratione.

Publicæ orationi illud meritum ineſt, quod privata imitari non poteſt. Ibi quædam fit ſpiritualium communicatio bonorum, cujus indigniſſimus quiſque particeps eſſe poteſt. Quilibet ibi ex aliorum meritis, ac proventibus diteſcit, & quidam cum aliis orans votis damnatur, qui ſæpe nihil aſſequeretur, ſi ſolus oraret.

Unde Infertur orationis neceſſitas.

Ex gratiæ neceſſitate neceſſitas orationis infertur. Hæc illatio ex triplici veritate, quæ de fide ſunt, oritur. Prima eſt, nos ex nobiſmetipſis nec voluntatem, neque vim habere aliquid pro ſalute noſtra efficiendi, licet de unica tantum cogitatione fovendam ageretur. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis.* 2. Cor. 3. Altera eſt, vim hanc, quæ omnibus eſt neceſſaria, ut ſaluti noſtræ vacemus, a Deo, & gratia hujus procedere: *ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Tertia, ut hoc gratiæ habeatur auxilium ſaluti noſtræ neceſſarium, hoc a Deo petendum eſſe juxta illud Jeſu Chriſti verbum: *petite, & accipietis.* Hæ tres veritates quovis tempore ſibi cohærentes, atque invicem conjunctæ, & inſeparabiles viſæ ſunt; ut quamvis Hæreticus Pelagius ſæpe affirmaverit, ſe primam dumtaxat earum oppugnare; Eccleſia illum veluti cunctarum trium infeſtiſſimum hoſtem cenſuerit. Cave, dixerunt Patres in quodam Africæ Concilio congregati, ad Innocentium Papam ſcribentes, cave, ne ſubdoli iſti hæretici tuam fallant religionem. Non ſemper illi dicunt, inutilem eſſe orationem; non incidiunt illi dicendo, ad ſalutem operandam gratiam minime neceſſariam eſſe. Conantur primum quidem clanculum in animos obrepere per ea, quæ in propoſito ab ipſis ſyſtemate magis ferenda videntur, dicente ſolum veriſimile non eſſe, naturam adeo corruptam eſſe, ut per ſe vim non habeat aliquid ad ſalutem utile conandi. Verum; utrum hoc pacto loquentes omnino & gratiæ neceſſitatem, & orationis virtutem evertant, penes te eſto judicium. Si enim ſufficit natura, ut ſaltem operemur, quomodo gratia indigemus? Sin autem gratia non indigemus, quænam eſt orationis neceſſitas?

Animadvertendum eſt duplex eſſe gratiam genus, utrumque ſaluti neceſſarium, quarum aliæ orationem præveniunt: ejuſque effectus non ſunt; aliæ orationem ſequuntur, & nonniſi per hanc obtinentur. Sanctus Auguſtinus libro ſecundo de bono perſeverantiæ pro duplicis hujus gratiæ exemplo affert vocationem Chriſtianorum ad fidem, & juſtorum perſeverantiam. Inter neceſſaria ad hominum ſalutem ſubſidia, inquit ille, non deſunt, quæ Deus illis etiam confert, a quibus non petuntur, veluti fidei principium, & e contra quæ petentibus tantum conceduntur, puta, perſeverantia finalis: *Alia dat non orantibus, ſicut initium fidei: alia nonniſi orantibus, ſicut in finem uſque perſeverantiam.*

Cui rei innitatur neceſſitas orationis generatim?

Orationis neceſſitas duobus, iiſque duobus principiis innititur; hinc quidem bonitati, & magnificentiæ Dei, inde vero hominum ſubmiſſioni, & egeſtati. Sine oratione Deus non honoratur, ut vult; & ſine oratione peccator ex ſua non emergit infelicitate, uti illi prodeſt. Si Deo, quem debet, præſtare vult honorem, orare tenetur; ſi in neceſſitatibus ſuis ſolatium invenire cupit, debet orare.

Orationis neceſſitas infertur ex finali perſeverantia, quam nemo poteſt mereri, ſed quam petenti concedit Deus.

De fide eſt, nos ſalvos numquam fore, vel eſſe poſſe ſine perſeverentia finali. At juxta communem regulam ſine oratione finalem perſeverantiam numquam aſſequemur; ideoque juxta communem regulam ſine oratione nulla ſalus. Propoſitio prior in dubium vocari non poteſt, quod pertinet ad alteram, certum ne eſt, ſi a Deo finalem hanc perſeverantiam petiero, mihi a Deo illam conceſſum iri? Profecto etiam ſi id probabile tantum eſſet, ſufficiens eſſet ratio, propter quam illam enixis precibus, & votis flagitarem: ſed Patres, Doctoreſque non verentur aſſerere futurum, ut illam,

illam, ſi, uti opus eſt, petieris, certiſſime conſequaris. Illi porro innituntur Auctoritati filii Dei dicentis Joann. 6. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Dei filius in hac promiſſione nihil peculiariter excipit eorum, quæ ad ſalutem pertinent; omnes actiones noſtræ quantumlibet ſanctæ ſint, non ſemper a Deo donum hoc, & perſeverantiæ obtinent gratiam; neque cum certitudine affirmari poteſt te illam aſſecuturum. Sed ora, & bene ora; eventus orationis tuæ ſponſorem ipſum habes Evangelium. Verum niſi oravero, certumne eſt, me illam nequaquam obtenturum? Utique, juxta communem Providentiæ regulam hoc certum eſt, inquit S. Auguſtinus: *Deum conſtat*, notate verbum, *conſtat, alia non orantibus, ut initium fidei, alia nonniſi orantibus præparaſſe, ſicut uſque in finem perſeverantiam*.

PARAGRAPHUS IV.

Delecti ex Aſceticis, nuperiſque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Fructus orationis.

ORatio validiſſimum ſubſidium eſt, quo uti poſſimus apud Deum, ut illum nobis conciliemus. Per illam huic noſtras aperimus neceſſitates, ejuſque miſericordiam conſequimur; hæc via eſt, per quam omnes illius benedictiones, & gratiæ ad nos perveniunt; dare quidem vult; ſed vult etiam nos petere: *Petite, & accipietis*. Joann. 16. Hic honor eſt, quem majeſtati ſuæ a nobis deferri vult; hæc noſtræ egeſtatis confeſſio; hæc ſubmiſſio eſt, in qua nos contineri vult, ut perpetuam habentes rationem ad eum in noſtris neceſſitatibus, quæ juges ſunt, confugiendi eidem inviolabili ſervitute adhæreamus. Hanc ille nobis oſtendit viam, atque damnabilis temeritas eſſet eamdem negligere, ut alias ſequeremur. Docet Sapiens ſe per illam a Deo obtinuiſſe votorum ſummam, atque ſapientia fuiſſe repletum; *Invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ*. Sap. 7. Et Sancti Patres, qui perfecte vias Domini noverant, hortantur, ut ad eum enixis precibus confugiamus in iis rebus omnibus, quæ pro illius cultu, & gloria ſuſcipimus, & præterea in omnibus animæ, & corporis neceſſitatibus. *Abbas Trapenſis collatione pro 5. poſt Pentecoſten Dominica*.

Orationi addenda actio eſt, ut a Deo illa quibus indigemus obtineamus.

Quantacumque ſit orationis virtus, & eſſentia, ſemper tamen cum actione conjungenda eſt. Vult quidem, nos orare, Deus; ſed vult etiam, nos operari. Actio ſine oratione temeritas eſt, atque præſumptio, uti Sanctus Auguſtinus ait, & oratio ſine actione, ignavia eſt, & negligentia. Labores igitur cum orationibus ſunt conſociandi, & eodem tempore, quo a Deo petimus id; quod neceſſarium eſt, omnes adhibendæ curæ, ut nos dignos præbeamus, qui votis damnemur. Illuſio eſſet credere, Deum nobis ea, quæ petimus, hoc eſt ea, quibus private indigemur, elargiri, quin nihil ex nobis conemur, ut illa nobiſmet procuremus. Opem illius expoſcimus, quod ſupponit, nos pro virili operari. *Idem*.

Quomodo illud intelligendum: oportet ſemper orare.

Vult Deus, nos ſemper orare, & id in Evangelio Salvator præcepit: *Oportet ſemper orare, & non deficere*. Verum quomodonam adimpleri hoc præceptum poteſt, quod in praxin redigi nequaquam poſſe videtur? Hoc pacto. Non exigit Deus, ut jugiter vocales preces effundamus, hæ nobis tædium afferre poſſent; & reipſa hoc munere defungi non poſſemus. Neque poſcit, ut jugiter de genu illum adoremus; externa hæc pietatis officia nos nimium fatigarent, ac tandem conficerent. Neque requirit jugem mentis applicationem, qua adorabiles ejus perfectiones meditemur; quod beatorum tantummodo eſt. Petit igitur, ut ſemper eo in ſtatu ſimus, in quo orare ſemper valeamus, ea quæ facimus offerendo illi, noſmet ſub illo humiliando, ab eo rebus in omnibus pendendo, ſupremamque illius bonitatem confitendo in rebus omnibus, quæ ab illius manu recipiemus; denique illum orando non quidem actu perenni, ſed humili, ſinceraque cordis noſtri diſpoſitione. Omnes, quas facimus, actiones chriſtianæ tot eſſe poſſunt orationes. Dei verbum audire, orare eſt; muneris ſui officia obire, orare eſt; pro Deo pati, ac laboribus exerceri, hoc egregium in modum orare eſt. Lacrymæ noſtræ, ſuſpiria, jejunia, eleemoſynæ, omnes bonæ actiones noſtræ orant pro nobis; ideoque ſemper orare eſt propter Deum, & Dei amorem operari, quodcumque operemur. *Joly propoſitione pro quinta Dominica poſt Paſcha*.

Homines terrena potius, quam ſpiritualia petunt.

O Deus quam pauci ad aras tuas ſupplices accederent, ſi cœleſtium dumtaxat bonorum penes te eſſet arbitrium! Quam pauci tibi vota nuncuparent, ſi gratiarum, æternorumque dumtaxat bonorum eſſet diſpenſator? . . . Numquid a ſpiritualibus neceſſitatibus preces noſtras ordimur? Numquid animæ mala primum deprecamur? Numquid in orationibus gratiam, & charitatem numquam interituras, an bona, & honores nobiſcum perituros flagitamus? Cum adverſa fortuna, vel iniqua judicum ſententia de gradu, ad quem veſtra vos vanitas extulerat, deturbavit, quænam ſunt prima vota, quæ in cœlum emittitis? Numquid primum vobis curæ eſt peccatorum remiſſionem, vel divinæ voluntatis complementum expetere? Numquid manus in cœlum attollitis, ut inter providentiæ brachia confugiatis? Omnes quidem cogitationes veſtras in Deum convertitis; verum ut terrenas has calamitates deprecemini &c. *Sermo Manuſcriptus*.

Oratio eſt humilitate conjuncta eſſe debet propter noſtras infirmitates.

Oratio Omnium infirmitatum noſtrarum memoriam ciere debet. Utique, Chriſtiani; orare eſt ſuam miſeram agnoſcere, ſuamque infirmitatem fateri, ſuam plorare vilitatem, & optare, ut quamprimum ex iis, quibus premimur, egeſtatibus eruamur. Orare eſt velle aliquid majus eſſe, quam ſumus; plura habere, quam habemus, coram ſupremo hoc ente, a quo ſubſidium expectamus, neceſſitatum noſtrarum magnitudinem exponere. Orare eſt rubore ſuffundi hinc quidem Dei magnitudinem, inde noſtram humilitatem intuentes, eſt velle noſmet conformare ſanctæ illius regulæ, corrigere, quod in nobis improbum eſt, ſtrenue ea, quæ inſunt, mala amputando: ut omnia verbo complectar, orare eſt primum quidem miſeriam noſtram exponere, mox vero eam deprecari. In hoc ſenſu tota continetur vis, totumque meritum orationis; atque non poſtrema illius conditio eſt, propriam agnoſcere egeſtatem, ſimulque propriam impotentiam fateri. *P. Maſſillon in ſermonibus recens editis ſermone de Chananæa*.

In orationibus noſmet divinæ ſubjicere debemus voluntati.

Deus magis quam nos noſtras videt neceſſitates, & melius quam nos, cujus rei indigeamus, cognoſcit; ideo in orationibus noſtris noſmet eidem remittere debemus, noſtramque ſortem in manibus ejus relinquere. Sæpe ab illius miſericordia tamquam gratias exigimus ea, quæ ejuſdem juſtitia in noſtram pœnam permittit: accidit enim quam ſæpiſſime, ut divinæ ſapientiæ in nos ordinem adeo parum revereamur, & adeo parum ab illo pendeamus, ut immo providentiæ legem inferre velle ex votorum noſtrorum libidine videamur. Sæpe privatis regimur ſtudiis, & affectionibus, ſæpe naturæ defectum ſequimur iis in precibus, quas effundimus Deo; deſideria noſtra Dei voluntatem regere volunt, & numquam deſideria noſtra Dei voluntate regi volumus. Et ſane cum aliquando in bonis, fortuna, & dignitate vos Deus percuſſit, umquam ne illi in cordis humilitate dixiſtis: Domine, ſi miſer hic ſtatus, ad quem redactus ſum, acceptus eſt in oculis tuis, me in hac egeſtate, & confuſione relinquas, nec iſtinc me umquam eripias? an e contra nonne ſatis lacrymarum effudiſtis, ut hanc bonorum jacturam defleretis, millies precibus Deum fatigaſtis, millies ab illo enixis precibus quæſiviſtis, ut tot vos malis liberaret? Voti vos compotes effecit; ſed quin gratiam elargiretur, vos punit: bona, quæ importunis poſtulationibus veſtris conceſſit, in luxum, aleam, ſcelus impendiſtis, & opes, quas ſemel amiſſas iterum eſtis adepti, triſtia fuere veſtrarum cupiditatum inſtrumenta. *Idem*.

Precibus quid petendum a Deo.

Si quid habemus, quod a Deo precibus impetremus; quot autem rebus non indigemus? primum nobis petendum eſt gratiæ illius auxilium, affectionum noſtrarum victoria, perſeverantia in bono, ac veræ virtutis guſtus. Petamus enixe hæc bonorum genera; Dei quippe voluntas eſt, quod ſancti, fideles, virtute præditi efficiamur. Verum cum agitur de æſtimatione, vel opprobriis, de proſperis, vel adverſis, de honoribus, vel humilitatibus; eheu! quidquid in his omnibus ab eo petere debemus, hoc eſt, ut videlicet cum obſecremus, obteſtemurque, ut ſuam in nobis ſanctam voluntatem adimpleat, ut ſolum metiri velit mala, quibus noſtram percutit infirmitatem, noſtraſque vires augeat, prout dolores augebit, & ut numquam nobis concedat, niſi quod ex evangelio ſaluti noſtræ conforme eſſe didicimus. *Idem*.

Sæpe fallimur in iis quæ a Deo petimus.

Hic, o Fideles, pietas in orationibus fallitur, & qui orat, ſpiritualia cum temporalibus, divinaque negotia cum propriis confundit. Et ſane credimus, ſi minus infirma, minuſque gracili valetudine gauderemus, magis nos pares futuros ſanctis operibus: ſi magis robuſtum corporis habitum haberemus, cum voluptate nos ſeveriſſimæ religionis auſteritates ſubituros; atque hac mente non ceſſamus, quominus firmam, conſtantemque ſalutem precemur, Deumque precibus fatigemus, ut exoratus majores vires, ac robur nobis concedat. Illud nobis ſuccurrit; quod ſi ubeciori, ac lætiori fortuna frueremur, facilius pauperum egeſtati ſubveniremus, atque effuſiores eleemoſynas erogaremus, prout opulentiores nobis eſſent proventus. Hac mente licere putamus, majores opes expoſcere, ad ſublimiores evehi dignitates, gravioribus honoribus decorari: ſed hæc mera illuſio eſt. Deus enim non exigit, ut in languenti, affectaque valetudine eoſdem ſubeas labores, iiſdem operibus exercearis, & idem pondus feras, quod qui robuſtum, & infatigabile corpus ſorti ſunt; id unum flagitat, quod viribus, ac ſtatui tuo pares virtutes exerceas. *Idem*.

Oratio fervens eſſe debet, & ex corde.

Non oratur, S. Auguſtinus ait, ubi cor non orat, cumque Dominus cor tantum poſtulet, hoc etiam unum ille audit. Oratio autem ex corde profecta ſemper fervens, atque integra eſſe debet, cor teporem, frigus, negligentiam neſcit. Chananæa quidem mulier loquitur, ſed ex corde loquitur; ore voces emittit, *clamavit*; ſed gemitus cordis ejus longe potentior eſt clamore labiorum ipſius. Gemit, ſed lacrymæ ipſius ſunt tenuis expreſſio affectionis, ardoriſque cordis. Querula ejus verba Jeſu Chriſti aurem vellunt; ſed tenera cordis ejus ſuſpiria Salvatoris oculis exhibent ſpectaculum bonitate illius longe dignius: fervor illius totum ferme orationis ejus eſt meritum ... Et ſane fervor adeo neceſſarius eſt orationi propter bonorum, quæ a Deo poſcimus, naturam. Quid? Æternorum bonorum petimus poſſeſſionem, gratiæ Salvatoris auxilium, in ſervitute illius perſeverantiam: hæc autem adeo pretioſa, tantique momenti bona, quæ ſola nos in omnem æternitatem beatos efficere poſſunt, hæc inquam bona frigide, & negligenter petere poſſumus? Cor totum, integrumque numquid nimis eſt ad id expetendum, quod unum illi ſatisfacere, omniaque ejus deſideria uberrime poteſt explere? Ita ne oramus, cum terræ hujus petimus bona? Nonne cor, totumque cor urget, ſollicitat? Numquid æque frigidi ſumus, & oſcitantes, cum gratiam aliquam temporalem, vel aliquod beneficium a principe nitimur precibus obtinere, uti cum æterna a Deo petimus beneficia? *Idem*.

Orationes quæ in communi fiunt, Deo gratiores ſunt quam quæ fiunt in privato.

Deus libentius audit preces, quæ in fidelium cœtibus effunduntur, quam quæ ſeorſim, & ab aliquo privatim fiunt. Itaque primi fideles, ut plurimum, in aliquem coibant locum ſanctæ huic exercitationis ſacrum, ut ſuas voces in cœlum attollerent; & quamvis omnes diverſa peterent, Deo preces tamen ſuas in cordis, ac intentionis unitate offerebant. Mala cujuslibet fidelis tunc mala erant cæterorum; & quilibet in ſancti hujus cœtus orationibus & laboribus ſuis ſolatium, & egeſtatibus opem inveniebat. Quid negare poteras, Domine, precibus adeo ſanctis? Si vota noſtra nequaquam exaudiuntur, ut illa primorum fidelium, inde fortaſſe oritur, quia hæc ſimul, ut illi non conſociamus. *Idem*.

Non deſunt, qui orandi loco ſeſe aliorum orationibus commendant.

Omnis quorumdam mortalium oratio huc redit, ut bonis viris conſcientiæ ſuæ curam commendent, quin ipſi Domini opem expoſcant. Sed quam gravis horum illuſio eſt! Quid prodeſt quod fideles Jeſu Chriſti famuli huic tota die clament: Converte Domine peccatricem animam hanc, quam tuo ſanguine redemiſti; illam ex tot vitiorum cœno erue; cum interim ipſe illi dicas: Haud ita Domine; nondum advenit tempus, commercium hoc relinquendi; ne infringas Domine vincula, quæ mihi placent, me quidem convertere volo, ſed non tam cito. Neque ideo dixerim pro peccatoribus, & fratrum converſione orandum non eſſe; hoc facere conſuevit eccleſia; hoc Dei filius jubet; hoc charitas flagitat. Verum cum ſalutis noſtræ negotium ad nos potiſſimum ſpectet, ipſi petere debemus, noſtraſque orationes cum precibus eorum conjungere, qui pro nobis intercedunt.

Sanctis ſatis non erat orare; fratrum quoque implorabant auxilium, & enixius flagitabant, ut pro ipſis Deo preces offerrentur, & ne ceſſaretur ab oratione. quoties in Epiſtolis S. Paulus hanc tundit incudem, precaturque, ut omnes ipſi precibus opem ferant? Adjuro vos, inquit, fratres per Jeſum Chriſtum, & Spiritus ſancti charitatem, ut mecum decertetis orationibus, quas Deo effundetis pro me. Fratres ſuos obteſtatur; per hoc exprimit, quanta illius ſit ſollicitudo, quantus ardor; illos per Jeſum Chriſtum obteſtatur, nequit ſane ſanctius nomen adhibere: verum nequit ſimul apertius oſtendere ſuum deſiderium, quo cupit, ut fratres pro ipſo deprecentur. Seipſum tamquam medium in prælio conſiderat; ſcit in prælio acerrimo, ubi cum potenti hodie congrediendum eſt, ſæpe, ſi ſolus dimices, periculum eſſe, ne vincaris: opem a fratribus petit, eoſque ut ſecum conſertis orationibus dimicent, hortatur. *Lambert tomo* 1. *octavo Sermone de Oratione*.

Qui pernicioſa, & mala petunt non exaudiuntur.

Ne putes, eo quod Chriſtiani ſumus, & habemus fidem, ideo ab Ethnicorum vitiis immunes eſſe. Videbantur olim Idololatræ in deorum delubra confluere, ut ſeſe numinibus commendarent, eaque non ſine aperta pietatis nota precarentur; verum quid ab illis petebant? Ea, quorum honeſtum, & cordatum virum puderet. Utinam, ajebat quidam, hunc hominem de medio tollere poſſem, cujus bonis hæreditatis jure diteſcerem. Utinam, ajebat alter, ut illi hujus ſubſtantia meæ accederet; quam felix eſſem! Si Dii hoc mihi concederent, ut ejus mulieris animum delinirem, quam voti mei compos fierem! atque propter id genus poſtulata Diis ſuis thus adolebant. Video equidem vos hiſcere, ut hos vecordes, cæcoſque mortales probo dignos judicetis: verum zelum cohibere veſtrum, niſi voſmetipſos damnare velitis; neque enim culpa veſtra levior eſt. Illi erant idololatræ corruptos venerantes Deos, a quibus maleſanæ cupiditatis ſuæ expetebant effectus; ideoque ea tantum poſtulabant, quæ ipſorum ſtudiis erant conformia, eorumque palpabant affectus. Vos autem Chriſtiani, qui Deum colitis, qui peccatum perhorreſcit, quomodo ea, quæ noxia ſunt, petere audebitis? Hæc maxima impietas eſt, quæ tamen ſingulis accidit diebus. Potiſſima orationum pars has falſas Ethnicorum devotiones imitatur, videtis patres, matreſque ad id omnia vota ſua nuncupantes, ut familiæ ſuæ nitorem obtineant, preces effundentes pro filiorum profectu, quos interim nutriunt inter mundi inania placita, quin adlaborent, ut illos de chriſtianæ religionis præceptis erudiant. Ille vero quid petit? bonam valetudinem, ut ſuis indulgeat voluptatibus, opes quas in alea, & luxu abſumat. Hæ petitiones Deo indignæ ſunt, neque ibi quædam ſacrilegii ſpecies deeſt; quippe fatuis hujuſmodi precibus Deum in flagitiorum veſtrorum partem vocatis. *P. Bourdaloue Sermone in Evangelium de Chananæa*.

Non ſatis eſt petere ea, quæ bona ſunt, ob bonum finem etiam ſunt petenda.

Quamvis ea petamus, quæ bona ſunt, & quæ a Deo ſunt: nihilominus, quia illa ob pravum petimus finem, non exaudimur. Ut plurimum enim temporalia petimus bona, ea videlicet, quæ ad vitæ hujus bona referuntur, quin de bonis animæ laboremus. Verum eſt vos petere bona, quæ a Deo ſunt, ſed talia ſunt, ut in utrumque uſum poſſint adhiberi, & ad alium quam ad ſalutis finem referri. Petitis bonam valetudinem, nominis exiſtimationem, bonum rerum veſtrarum exitum; quid ultra Ethnicus poteſt expetere? Hic deſinit effectus orationum Gentilium, atque Idololatrarum, Dei filius ait Matth. 6. *Hæc omnia gentes inquirunt*. Sed de conſcientiæ probitate, ac puritate cordis nemo ſollicitus eſt, pauci ob id preces effundunt. Ubi invenietur, qui precibus humilitatem, charitatem, aliaſque chriſtianas virtutes obtinere contendat? Quiſnam Miſſæ ſacrificium offerri curat, ut ab animæ vitiis liberetur; quemadmodum efficere ſolet, ut a corporis ægritudine ſit immunis? Ullane publica impendere videtur calamitas? Numquam tot viſæ ſunt devotiones, quot tunc inſtituuntur: ſin autem de morum corruptionibus agatur, nemo movetur, nemo Dei opem implorat. Poſt hæc miraberis adhuc, ſi in irritum cedat orationes tuæ. *Idem*.

Hominũ plerique in precibus effundendis attenti non ſunt.

Quotuſquiſque in oratione attentus eſt? quotuſquiſque cogitat, quæ dicit? Plurimi quidem orant, ſed quia illorum oratio attentione caret, idem eſt, ac ſi non orarent omnino. Nonne verum eſt devotionem nihil eſſe aliud, quam prolixam vocalium precum conſuetudinem? petitionum, quæ errabunda mente fiunt? labia quidem moventur, ſed alia cogitantur. De hoc jugiter Deus in Bibliis conqueritur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me*. Matth. 5. & Marc. 7. Eheu! quam uſitatum eſt videre eos ipſos, qui Deo ſeſe devoverunt, & qui ſacris operantur quotidie, multa orantes nihil orare, quia per conſuetudinem, & ſine attentione preces effundunt. *Idem*.

Attentionis defectus in oratione cauſa eſt propter quam non exaudimur a Deo.

Non ſine cauſa, & magna quidem nos Deus non exaudit, quoniam orationes noſtræ potiſſima deficiunt parte, videlicet attentione, Tantum abeſt, quod hæc oratio ſit, ut immo contemptus dicendus ſit Dei, quo ejus in nos juſtitia non lenitur, ſed irritatur. Quid? volumus Deum preces noſtras audire, ipſi vero illas audire nolumus: *Domine, exaudi orationem meam*. Pſal. 4. & 38. Tu autem teipſum non audis, illi reſpondet Deus: mecum loqueris, quin de me cogites; me oras, & neſcitis quid dicas, nullam adhibes attentionem, &c. *Idem*.

Sequitur fructus ampliſſimus, & jucundiſſimus orationis, cum a Deo preces audiuntur. Eſt enim, ex S. Auguſtini ſententia, oratio juſti clavis cœli; nam *aſcendit*, inquit, *precatio, & deſcendit miſeratio: licet alta ſit terra, altum cœlum, audit tamen Deus hominis linguam, ſi mundam habeat conſcientiam*. Cujus orandi muneris tanta vis eſt, tanta utilitas, ut ea re cœleſtium donorum amplitudinem conſequamur. Nam & impetramus nobis, ut ducem, & adjutorem adhibeat Spiritum ſan-